Tragedie di Seneca tradotte in verso sciolto dal Sig. Ettore Nini.

SENTENTIAE
INSIGNES,

Græcorum Quinquag. Comicorum, quorum opera integra non extant, Latino idiomate collectæ.

Accessit vniuscuiusq; Poetæ vita accuratè conscripta, & Platonij fragmentum de Comœdiarum differentijs.

Poetarum nomina proximè præfationem sequuntur.



BRIXIAE, MDCXII.

Apud Bartholomæum Fontanam.

Superiorum Consensu.

EX PLATONII FRAGMENTIS

De differentijs Comœdiarum apud Græcos.

PRæclarum eſt cauſas exponere, quare vetus Comœdia propriam quandam habeat formam, & proinde media ab ea differat. Temporibus, Ariſtophanis, Cratini, & Eupolidis democratia apud Athenienſes regnabat, ſummaq; rerum poteſtas penes populum erat, qui vt imperator dominusque ciuilia tractabat negocia. Igitur omnibus ex æquo libertate dicendi conceſſa, Comœdiarum ſcriptores arripiebant licentiam taxandi

Imperatores, Iudicesque ipsos, qui male ius administrarent ciues etiam aliquos, puta auaros aut lasciuia diffluentes, Populus enim, vt dixi, omnem Comicis timorem eximebat, dũ libenter eos qui talibus conuicijs homines proscinderent, audiret. Non enim ignoramus, ita vulgus natura comparatum esse, vt ijs, qui opibus valent, aduersetur, & ex ipsorum infortunijs oblectationem quærat. Proinde sub Aristophanis, Cratini, & Eupolidis Comędia satis acerbi, & vehementes quidam Poetæ erant in delinquentes. Cæterùm deficiente iam democratia sub ijs qui tyrannidem Athenis exercebant, constitutaq; obligarchia, hoc est paucorum dominatu, & plebis potestate concidente ad paucos, cum obligarchia rerum potiretur, metus inuasit poetas. Non enim cuiquam publicè conuiciari amplius licebat, cum qui contumelia essent affecti, pœnas de poetis expeterent. Scimus enim Eupolin, quoniam fabulam Baptas docuerat, ab ijs ipsis in mare submersum, contra quos Baptas emiserat. Atque

hanc

hãc ob causam tardiores facti sunt ad cauillationes poetæ, finemq; cęperũt choragi. Non enim amplius alacritatem habebant Athenienses ad creandos choragos, qui sumptus histrionibus suppeditarent. Ideo Aristophanes docuit Aeolosiconem fabulã non habentem chorica carmina. Nam cũ histriones non cõstituerentur, & choragi non præberent expensas, sublata è Comędia sunt Chori carmina, & hypotheseon locus repertus est. Veteris namque Comędiæ scopus cum esset conuicijs proscindere populos, Iudices, Imperatoresq; procliuis illico Aristophanes ad familiariter cauillandum, ob ingentem metũ, αἴολον, id est Variam, fabulam in Tragicos scriptam, ceu malam discerpsit. Talis igitur mediæ Comędię forma est, qualis est Aristophanis Aeolosicon, & Cratini Vlysses, & plures aliæ veteres fabulæ, quæ neque choricæ carmina, neq; transitiones habent. Transitio autem sic se habet. Posteaquàm histriones prima parte absoluta è scena secessissent, ne theatrum vacuum esset, populusq; ociosus sede-

ret, chorus nihil habens, quod ad hi-
ſtriones loqueretur, ἀπόστροφον, hoc eſt
auerſionem ad populum faciebat: in
eaq́; poetę, vel de choro, vel de ſe ipſo
ſermonem habebant, vel aliquid etiã
de plebeis introducebant negocijs.
Tranſitio autem conficiebatur ex can
tiuncula, inciſo, & Strophe, Antiſtro-
pha, Epirrhemate, Antepirrhemate,
& Anapæſteis. Quæ igitur (Comœ-
diæ) tranſgreſsiones habebant, tum
temporis datæ ſunt, cnm populus do
minaretur: quæ non habebant, tum,
cum poteſtas plebi adempta, in pau-
cos relata eſt. Mediæ autem Comœ-
diæ poetę etiam hypotheſes pręterie-
runt, & chorica carmina omiſerunt,
quod non haberẽt choragos qui ſum-
ptus hiſtrionibus ſuppeditarẽt. Erãt
enim veteris Comœdiæ hypotheſes
ferè huiuſmodi, vt increparent impe-
ratores, & iudices parum æquè ius
adminiſtrantes, quique per fas, & ne-
fas pecuniã quærerent, vitamuè mul-
tis inuiſam agerent. Tales quidẽ me-
dia Comœdia hypotheſes prætermi-
ſit: at hiſtorias veterib. poetis decan-
tatas cauillari, ſeu traducere aggreſsi

ſunt: atque id erat impune, verbi gratia, Homeri aliquam ſententiam carpere, aut Tragœdiarum fortè quendam poetam. Huiuſmodi autem fabulas etiam in veteri Comędia inuenire licet, quæ poſtremò datæ ſunt cū iam principatus penes paucos eſſet. Et hanc ob cauſam Vlyſſes Cratini nullius reprehenſionem cōtinent, ſed irriſionem Odyſſeæ Homericæ. Tales enim in media Comędia erant hypotheſes; fabulas quaſdam in Comędia, quæ ab antiquioribus relatæ erant, ceu male pronunciatas traducebant, & tranſgreſsiones mitigabant, quòd choris non præſentibus choragi defeciſſent: neq; etiam perſonas eo modo, quo in veteri Comędia erant ornatæ, introducebant. In ea enim ita affingebant ijs perſonas, qui Comędia perſtringebantur, vt priuſquam hiſtrio quicquam diceret, is qui perſtringendus erat, ex faciei quadam ſimilitudine innoteſceret. At in media & noua Comędia de induſtria magis ad riſum mouendum compoſuerunt, veriti Macedones, & imminentem ab illis metum. Et quò minus fortè for-

tuna ſimilitudo perſonæ alicui Mace donum principi conueniret, ſi quis poeta de induſtria perſtringere viſus fuit, pęnas exoluit. Videmus igitur facies in Comędia Menandri qualiter ſeſe habeant, & quàm corpus in habitum naturæ humanæ non congruentem mutatum ſit.

EIVS-

Eiusdem
PLATONII
De differentia generum dicendi.

CRatinus veteris Comędiæ Poeta, vt quidē Archilochi quæstiones indicant, seuerus fuit conuicijs. Non enim succinctè loquendo gratiam addit cauillis, vehementiam obiurgationis propter eam refutans subinde: sed simpliciter nudo, vt prouerbium habet, capite conuicia iacit in delinquentes, & in conuersione vehemens est. Cum autem in fabularum accessionibus, & apparatu solers sit, proijciat insuper dissipetque hypotheses, non satis congruè fabulas complet.

At

At Eupolis in hypothesibus informādis longè optimus est. Magnas enim fabularum admonitiones facit: & quam impressionem alij in transitione faciunt, ad eam ille in fabulis inferendam idoneus est ex inferno legislatorum personas: & ab his admonitus, vel de positione modorum, vel etiam de dissolutione, sicut summus, ita pariter & gratiosus, & in commētationib. dexterrimus Aristophanes autem medium quendam horum virorum stylum sequitur. Nam nec acerbus nimium est, vt Cratinus: nec gratiosus, vt Eupolis: sed in delinquentes Cratini vehementiam obseruat, & ipsam succinctè loquendi gratiam Eupolidis.

Finis Fragmentorum Platonij.

COMICORVM Quinquaginta, Quorum hæc fragmenta ad nos peruenerunt, Elenchus.

Me-

CA.

CATHALOGVS AVTHORVM,

Vtriusq; linguæ, ex quibus hoc opus collegimus.

Theologi Græci.
Basilius Magnus.
Clemens Alexand.
Eusebius Pamphili.
Gregorius Nazian.
Iustinus Martyr.
Nilus.
Paulus Apostolus.
Synesius Cyreneus.
Tatianus Assyrius.
Theophilus.

Latini.
Arnobius.
Fulgentius.
Hieronymus.
Irenæus.
Lactantius.

Philosophi Græci.
Aristoteles.
Artemidorus.
Diogenes Laertius.
Eustratius.
Heraclides Pōticus
Hermius.
Iamblicus Platonicus.
Ioannes Stobæus.
Mercurius Trismegistus.
Musonius.
Philo Iudæus.
Plato Philosophus.
Plotinus.
Plutarchus.
Porphyrius.
Theophrastus.
Themistius.

Latini.
Aulus Gellius.

Ma-

Macrobius.
Plinius iunior.
Seneca.
ValeriusMaximus.
Vitruuius.

Historici Græci.
Aelianus.
Alcimus.
Heliodorus.
Herodotus.
Iosephus.
Nicetas.
Pausanias.
Philostratus.
Stephanus Ethnographus.
Strabo.
Thucydides.
Xenophon.
Zonaras.

Latini.
Ammianus.
Marcellinus.
Iulius Hyginus.
Suetonius.
Titus Liuius.

Medici Græci.
Dioscorides.
Galenus.

Latini.
Cornelius Celsus

Oratores Græci.
Aphthonius.
Aristides.
Athenæus.
Cydonius.
Demetrius Phaler.
Demosthenes.
D Chrysostomus.
Hermogenes.
Hyperides.
Isocrates.
Lucianus.

Latini.
Apuleius.
M. Tulius Cicero.
Plinius.
Quintilianus.

Poetæ Græci.
Aeschylus.
Apollonius Rhod.
Aristophanes.
Coluthus.
Epigrammatarij.
Euripides.
Hesiodus.
Homerus.

Oppie-

Oppianus.
Orpheus.
Phoclydes.
Pindarus.
Pythagoras.
Sophocles.
Theognis.
Tryphiodorus.
Tyrtæus.

Latini.

Ausonius.
Horatius.
Iuuenalis.
Martialis.
Ouidius.
Persius.
Plautus.
Propert ius.
Terentius.

Grammat. Græci, & commentatores.

Apostolius Byzant.
Chameleon Heracleotes.
Collectanea impressa cum Calmacho.
Demetrius Trœzenius.
Etymologici author.
Eustathius.
Herennius Philon, qui vulgò Hammonius inscribitur.
Harpocration.
Hephæstion.
Hesychius.
Iulius Pollux.
Marcellus quidã.
Phauorinus.
Platonius.
Suidas.
Thomas Magister.
Zenodotus.
Zezes vterque.

Latini.

Diomedes.
Helenius Acron.
Marcus Varro.
Nonius Marcellus
Porphyrion.
Seruius.
Sextus Pompeius.
Tiberius Donatus.
Zarottus Ouidij interpres.

In-

Interpretes.
Aeschyli.
Apollonij.
Arati.
Aristidis.
Aristophanis.
Callimachi.
Horatij.
Lycophronis.
Nicandri.
Ouidij.
Persij.
Pindari.
Sophoclis.
Theocriti.
Thucydidis.
Vergilij.

Recentiores.
Alexander Neapolitanus.
Angelus Politian⁹.
Antonius Codrus.
Christophorus Landinus.
Cęlius Calcagn.
Cœlius Rhodiginus.
L. Domitius Brusonius.
Donatus Acciol⁹.
Franciscus Floridus Sabinus.
Franciscus Petrarcha.
Franciscus Robor.
Gulielmus Budęus
L. Greg. Gyraldus.
Gulielmus Rondeletius.
Hermolaus Barb.
Ioan. Brassicanus.
Ioannes Brodęus.
Ioannes Picus Mirandulanus.
Ioannes Pierius Valerianus.
Ioãnes Ludouicus Viues.
Nicolaus Perottus
Petrus Crinitus.
Petrus Victorius.
Polydorus Virgil.
Raphael Volaterranus.
Sabellicus.
Stephanus Niger.

FINIS.

MENANDRI COMICI VITA.

MENANDER Atheniensis Diopethis, & Hegesistrates filius inter omnes nouæ comœdiæ poetas facilè princeps, Theophrasti discipulus & auditor, vt testatur Diogenes Laertius, aspectu fuit strabo, mente acutus, amore in mulieres insanus. Vnde à Plinio omnis luxuriæ interpres dictus est, cui ferè subscripsit Plutarchus. Scripsit, Suida teste 80. comœdias, vel secundum alios 180. qui etiam à Terentio conuersas esse, omnesq; intercidisse asserunt. Scripsit quoq; epistolas ad Ptolemæum Lagi F. regem Aegypti, & ad Glyceram amicam, & alia quædam prosa oratione. Floruit, & primam fabulam Orgeo edidit Olympiade 15. hoc est anno mundi 3645. ante Christum natum 318. Quo tempore Græcorum monarchia, Alexandro Magno vita defuncto, discissa & diuisa inter principes eiusdem, cessauit. Diem suum obijt Menander, vt testatur Eusebius, Olymp. 122. quando Coss. Rom. fuerunt Q. Fabius Maximus Gurges, D. Iunius Brutus Scæua, vbi & Pestis Aesculapius Romam adductus à quibusdam scribitur. De mor

tis ipſius modo ſcribit interpres vetus Naſo- nis, ſuper verſum illum in Ibin: Comicus vt liquidis perijt dum nabat in vndis: Menander Comicus Athenienſis dum in Piræo portu nataret ſubmerſus eſt: de quo nobiliſſimæ à Græcis editæ traduntur Elegiæ, & à Callimacho epigramma. hæc ille. Tumulorum Menandri meminit Pauſanias in Atticis. Plures huius nominis fuiſse præſtantes viros hinc inde meminerunt authores. Menander quidam Athenienſium dux fuiſse proditur à Thucydide lib. 7. belli Peloponneſiaci, & Plutarcho in Alcibiade. Menander alius Sophiſta Laodiceus ſcripſit Commentarios in artem Hemogenis, & Præexercitamenta Minutiani, Suidas. Menander alius hiſtoricus, Suidas & Strabo, Ioſephus, Zonoras Tomo 1 Menander hæreticus, Simonis magi diſcipulus & ſucceſsor fuit. De hoc videndus eſt Irenæus lib. 1. cap. 21. Iuſtinus Philoſophus & martyr. Euſebius item in Eccleſiaſticæ hiſtoriæ lib. 3. cap. 26.

Testimonia Doctorum virorum

DE MENANDRO COMICO.

CHRISTODORVS LIB. V. Græcorum Epigrammatum.

Εστήκει δὲ μένανδρος, ὃς συπύργοισιν ἀθήναις
ὁπλοτέρου κώμοιο σελασφόρος ἔπρεπεν ἀστήρ.
πολλάων γὰρ ἔρωτας ἀνέπλασε παρθενικάων,
καὶ χαρίτων θεράποντας ἐγείνατο παῖδας ἰάμβους.
ἅρπαγας οἰστρήεντας ἀεδνώτοιο κορείης,
μίξας σεμνὸν ἔρωτι μελίφρονος ἄνθος ἀοιδῆς.

Hos versus ita propemodum pedibus astrinximus vt ad verbum cum Græco conueniant:

Nam bene turritis est ipse Menander Athenis.
Inductor Comi, ceu splendens stella, recentis.
Quippe puellarum multarum affinxit amores
Et Charitum famulos iuuens effecit iambo
Raptores oestro Veneris furtiua agitatos,
Carminis integrum decus addens dulcis amori.

Dion Chrisostomus insignis Philosophus, & Orator in Oratione, De dicendi exercitio, de Menandri & Euripidis lectione sic differit:

Ex poetis sanè consuluerim tibi, Menandrum Comicum non perfunctoriè legere, &

Euripidem Tragicum : atque hos tamen non ita legere, vt alia vrgentia omittas, sed maximè eos apud semetipsum suauiter & iucundè æstimare. Plus enim ille rem æstimare potest, qui se à cõtinua lectione liberat. Et nullus me sapientum reprehendat, quòd ante feram veteri Comœdiæ Menandrum, aut veteribus Tragicis Euripidem. Neque enim & medici sumptuosissimos cibos constituunt indigentibus curatione, sed vtiles. At multum sanè negocij esset dicere, quanta ex his hauriri queant vtilia. Nanque Menandri imitatio omnium morum & gratiarum omnem superauit veterum Comicorum vehementiam: atque Euripidis adhortandi vis, atq; persuadẽdi ad Tragicam fortasse contumaciam, maiestatemq; non perfectè accedit, homini autem politico vehementer vtilis est. Præterea ad mores & affectus supplendos idoneus est. Et sententias ad omnia vtiles poematibus immiscet, vt qui Philosophiæ non sit inexspertus.

Q. Fabius Quintilianus lib. 10

Vel vnus Menander, meo quidem iudicio, diligenter lectus ad cuncta quæ præcipimus efficiẽda sufficiat, ita omnem vitæ imaginem expressit, tanta in eo inueniendi copia, & eloquendi facultas, ita est omnibus rebus, personis, affectibus accommodatus. Nec nihil profectò viderunt, qui orationes, quæ Charisij nomine eduntur, à Menandro scriptas putant

Et rursus:

Ego tamen plus adhuc quiddam collaturum declamatoribus puto (de Menandro loquens) quoniam his necesse est secundum conditionem controuersiarum plures

subire

ſubire perſonas, patrum, filiorum, maritorum, militum, ruſticorum, diuitum, pauperum, iraſcentium, precantium, mitium, aſperorum, in quibus omnibus mirè cuſtoditur ab hoc poeta decor. Atq; ille quidem omnibus eiuſdem operis authoribus, abſtulit nomen, & fulgore quodam ſuæ claritatis tenebras obduxit.

Plinius lib. 7. cap 30.

Magnum & Menandro in Comico ſocco teſtimonium regum Aegypti & Macedoniæ contigit, claſſe per legatos petito. Maius ex ipſo, regni fortunæ prælata literarum conſcientia.

Plura Menandri encomia tum apud alios authores, tum inprimis apud Plutarchum in libello de comparatione Ariſtophanis & Menandri leguntur.

EX COMOEDIIS MENANDRI COMICI.

Nouæ Comediæ, Sententię, quæ ſuperſunt, ſecundum Græcas literas in certos locos digeſtæ.

In Bonos viros locus.

VIR optimus degener nullus euadat.
Vir bonus bonum nunquam odit.
Ex conſilio enim bono facta proba naſcuntur.
Bono nanq; viro bona quoq; dat Deus.
Aemulare probum virum & temperantem.
Commune bonũ eſt cũ bonus proſpera fortuna vti (tur.

Garrulitas.

.. Turpe eſt, cum quis lingua diſertus,
Lingua inanes ſermones eiaculatur.
Neque manu emiſſum ponderoſum lapidem
Facile eſt cohibere, neq; lingua verbum.
Verbum intempeſtiuum totam vitam euertit.
.. Impudentibus enim
Sermonibus opitulatur id ſolum, ſi breues

Quis

Quis eos faciat, tẽpusq́; opportunũ ipsi nãciscãtur.
Imperiosa quadam res est, copiosa dicẽdi scientia.

De Veritate.

Semper optimum est vera dicere,
Quacunq́; occasione: in eo ego spondeo
Prasidij vi ta maximam partem esse.
-Veritas autem adsit
Tibi mihiq́; rerum omnium aquissima.
Venit
Verum in lucem aliquando, cum non quaritur.
Lingua cum aberrat, vera dicit.
Veritas apud homines non inuenitur.

De Necessitate.

Multos necessitate ad mala noui ego
Cum in aduersis essent adactos, qui natura
Tales non erant.--
Necessitate vrgente multa fiunt mala.

De Impudentia.

Omnes perfricta fronte sunt, nec vllus amplius erubescit.
Qui vero nec erubescere scit, nec metuere,
Ille primas omnis impudentia partes tenet.
Nunquam meretrix honesti curam habet,
Qua malos mores vice prouẽtus habere consueuit.
O' maxima dearum
Qua nunc es, Impudentia, si deam te vocare licet:
Sed opertet: Nam quod imperat, pro deo nunc habetur.
Quousq́; progredieris? quousq́; peruentura mihi videris?

De fortitudine, & patientia.

Viri est, qua accidunt generoso animo ferre,
Omnes illuc peruenerunt, vbi nos desinemus.
Humanè ferenda sunt, hospes, fortuna;

Communes communiter ferre casus decet.
Constanter moerorem & detrimentum tolerato.
Infortunium & noxam ferto decenter:
Hoc viri est mente præditi: non qui sursum
Erectis superciliis, hei mihi, ait;
Sed qui sua ipsius moderatè fert negocia.
Neque Deo repugnes neque negocio addas
Calamitates alias, sed necessarias ferto.
Fortunam aduenientem ferre leuiter decet.
Infortunatus de te nunquam desperes.
Hic præstantissimus est vir, ò Gorgia,
Quisquis plurimas mortaliũ iniurias ferre nouit.
Firmiter ferendæ sunt nobilium calamitates.
Bene enim agenti, omnis terra patria est.
Cum quid sanctum agis, bonam spem
Tibi propone, hoc pro certo habens, quòd
Conatum iustum etiam Deus adiuuet.
-- Non est in arbitrio situm
Ingenij nulla ratione præditi calamitatẽ defu-
-- Nullas igitur diuina (gere.
Sorte infortunatus, vnquam nimis tristetur:
Forsitan enim nasciturí hæc boni occasio fuerit.

Amentia, & Imprudentia.

Vir inconsultus in vanum laborat currens.
Vir inconsultus voluptatem venatur.
Amentia est mortalib infortunium voluntariũ.
Omnes corrigendo sumus sapientes,
At ipsi dum peccamus, non agnoscimus.
Ridet stultus etiamsi nihil ridendum cernat.
Bis idem peccare non est nisi sapientis.
Cum aliquis se in bonis esse reputans
Melius quid quærit quàm quæ habet, mala quæ-
Stultitia mihi videtur manifesta, (rit.
Intelligere quæ oportet, ea autem non seruare.

Parua

Parua malè agendi occasio est.
Odi sapientem qui ipse sibi non sapit.
Nam qui eorum, quæ in vita contingunt, nihil bene fert
Bonorum, rationis expers est, non beatus.
Nemo dum peccat sibi conscius est, quanta sit
Peccati magnitudo, postea verò videt.
Amentia nihil est, vt mihi videtur,
Audacius. --
Lapsus vitam facit temperatiorem.
- *Omnis qui non sapit*
Arrogantia & plausibus capitur
Cœca quædam res videtur mihi amentia.
Graue est huiusmodi peccata committere,
Quæ narrare, postquam fecimus, nos piget.

De Arcanis.

Aut ne quid occultandum aggredere, aut solus aggredere.
Etiãsi valde manifestũ noueris qui se tibi occultat,
Nequaquam dicas Molesta enim res est,
Quæ latere quis velit, ea nosse.
Nemo futurum tutò cognoscit.
O' Apollo sed malum non mediocre dicis,
Infelices esse conscijs alijs, cum latere liceret.
Moderatè ferre
Ita continget, si solus ferre queas,
Nec pluribus sortem tuam euulgaueris,

In Ocium & Ignauiam.

Requies est malorum, ocium.
Ociosus sanus febricitante longè
Miserior est, vt qui duplo plus inutiliter edat.
Ignauorum virorum ignauæ sunt cogitationes.
Pauperes ociosos non alit ignauia.
Multi ocium exercent in rebus deterioribus.

Deses si fueris, diues licet, pauper eris
Quàm multa mortalibus ocium parit mala.

Virtus.

Semper optimum est, quod est tutissimum.
Quæ ad te nõ pertinent, ea nec audito, nec videto.
Optimum est omnes honestatem didicisse.
Ingenui enim viri est vera dicere.
Liberales tuos ipsius conseruato mores.
Quod bonum est id generosissimum esse oportebat.
Ingenuo semper de se magnificè sentiendum.
Armatura maxima virtus est mortalibus.
Honestum alicubi etiam lege præstantius est.

Magistratus & Regnum.

Inexploratum ne punias quemquam.
Imperium nactus eo te dignum gere.
Debet, qui, vt ciuibus præsit, electus est
Dicendi facultatem non copiosam
Sed bonis moribus temperatam habere.
Animata Dei imago rex est.
Quæ nunc à quodam nominata est bonitas,
Perplexam & anxiam totam vitam fecit.
Nemo enim iniurius afficitur supplicio.
Præclara res est fortitudine rex excellens,
Et iura viuendi iudicio conseruans.
Accusare & iudicare simul non licet.
Punito improbum si potes.

Huc refer locos de Lege, & Republica.

Prodigalitas & Incontinentia.

Si quò quatriduo nauigatio nobis instituatur,
Prospicimus singulis diebus necessaria:
Si verò senectutis ergò quippiam parcendum,
Cur non viaticum parsimonia reponemus?
Ventris omnem habenam comprime.

-- Siccine paria facimus & sacrificamus?
Vbi sanè dijs litandum, emptam
Drachmis si adduco ouiculam duodecim, præclara
At si tibicinas, vnguentum, psaltrias (est,
Has, thasium, anguillas, caseum, mel,
Minimum ad talentum redit ratio.
Et multa venter & pauca capit.
Præstat sobriũ esse, quã nimia crapula exagitari.
Multum meri, vt parum sapias, cogit.
Non enim copia, si quis consideret, eius quod bibitur.
Facit vt quis debacchetur, sed bibentis ingenium.
Cum, qui suas facultates inconsiderate consumit,
Bene audit, id statim omnibus nocet.
Nam qui vitam malè administrat suam
Quo nam is pacto alienam seruet?
Molestum est, si quis præ vino nimis loquatur,
Ea quæ nescit callere simulans.
Non est adultero vlla res preciosior;
Morte enim est venalis.

Ingratitudo.

Semper qui conseruatus est, ingratus est natura.
Simul atque misertum est, gratia interijt.
Ingratus quisquis acceptorum beneficiorum est immemor.
Obliuiscuntur omnes in quos collata sunt beneficia.
Post largitionem statim senescit gratia.
Ingrato enim homine terra peius nil creat.
Vicinus, hospes, notus, ignotus, cliens,
Et si qua genera sunt id ciuium genus
Si quid potenti promptius opus impertias,
Vt misereare gratia, aut totum perit.

DE VITA QVOD BREVIS sit & fragilis.

Viuendi negligens honestè viuere nequit.
Omnia animantia beatissima sunt,
Et longe plus mentis quàm homo habent,
Asinum cernere licet primum hunc,
Qui miser est ex confesso:
Ei nihil mali sua culpa nascitur,
Sed quæ natura dedit, ea habet.
Nos verò præter necessaria mala
Ipsi per nos alia nobis suppeditamus,
Angimur si sternutauerit quis; si malè loquatur,
Irascimur: si quis viderit insomnium, valde
Metuimus si noctua vlularit quæpiam formida-(mus,
Aerumnæ, opiniones, ambitiones, leges,
Omnia hæc adscitia naturæ sunt mala;
Domum enim quæ sine malis inhabitetur
Nullam est reperire, sed aliis fortuna
Malorum abundè dat, aliis verò sui mores,
Vtrumnè cognatus est quidam vitæ dolor?
Delicatæ vitæ comes est, illustri vitæ
Præsto est, egena consenescit vita.
Morum acerbitatem habet quãdam aspera vita.
Firmum in vita nihil esse videtur.
Viuit nemo quam expetit vitam.
Vita vitæ indigens, non est vita.
Vita est, si quis viuens vita gaudeat.
Vita nuncupatur cui per vim suppeditatur.
Vitæ iustæ est finis honestus.
Viuere sine molestia mortaliũ nemo facilè potest,
Terra omnia producit, & iterum æstimatur.
Trophime, si tu solus ex omnibus natus esses

Cum

Cum te mater peperit, cui perpetuò liceret
Agere quæ velles, & ſemper proſpera vti fortuna,
Idq́; Deus quiſpiam tibi pollicitus eſſet,
Meritò indignareris. Eſſet enim mendax,
Et inſolens quid feciſſet: Sin iiſdem de legibus,
Quibus nos, attraxiſti animam
Communem, vt tibi paulum tragicè loquar,
Meliori animo hæc ferenda reputandaq́;,
Ac rationum ſumma in hoc eſt, homo es:
Quò citius ſublationem in altum, & rurſum
Deiectionem, nullum animal accipit.
Nec iniuria ſanè, nam cum infirmiſſimus ſit
Natura, maximarũ rerũ adminiſtrationẽ habet.
Cum verò labitur plurima ſecum bona conterit.
Tu autem ingentia Trophime non perdidiſti
Bona; quæq́; nunc pateris, mediocria ſunt mala.
Itaq́; moderato animo poſthac ea ferto.
Viuere turpe iis eſt quibus vitam inuidit fortuna.
Viuere ſi vis morte ne digna facias.
Vita miſera mors eſt optabilior.
Viuimus enim, non vt volumus ſed vt poſſumus.
Præclarius eſt non viuere, quàm miſerè viuere.
Fructus eſt virtutis bene compoſita vita.
Vitam conuenientem prouideto.
Longa enim vita calamitates multas patitur.
Exigua vita anguſtum tempus viuimus.
Non reperitur vita cuiuſpiam ſine moleſtia.
Opprobrio eſt turpis vita, tametſi iucunda eſt.
Quiſquis hominum nullos refugit labores,
Omnino tandem hoc modo direſcet.
Et ſapiens aliquis euadet ingenium exercendo,
Et corpore ſanus certa victus obſeruatione;
Illud verò cum ex omnibus impoſſibile eſt
Inuenire, quo quis modo non contriſtetur.

Non

Non enim in rebus aduersis tantum se prodit
Tristitia: sed bona quoq; suas curas habent.
Omnes, praclarè viuere volumus, at non possumus,
Lapsus vitam facit temperatiorem
Viuere sine ægritudine viri est beati.
Illud est viuere si quis cum ijs quos probat, viuit.
.. Istum ego felicissimum esse dico,
Qui contemplatus sine molestia, Parmeno,
Hac augusta, recessit statim, vnde venerat:
Solem hunc commune sidus, aquam,
Nubes, ignem. Hac enim annos siue centũ vixerit
Præsentia cernet; siue paucos admodum annos,
Angustiora his non videbit amplius
Quasdam nundinas esse censeo tempus hominũ,
Hoc quod aio, solennes & populosas
In quib. turba, forũ, latrones, alea, colloquia sunt.
Si primus discesseris, diuertes meliora
Viatica habens; nulli infensus abijsti
Qui verò superstes manet, fessus tandem perit,
Et miserè consenescens aliqua re fit indignus.
Vacillãs hostes inuenit, insidijs alicũde impetitur.
Cum in hoc seculũ venerit, infelicẽ mortem obit.
Ter misera & calamitosa natura,
Multisq; plena est vita curis.
Cæca est & misera humana vita.
Bona valetudo & mens, bona sunt vitæ duo.
Quàm vita iucunda est, si quis cum illis vixerit quos probat?
Ad viuere est non sibi viuere soli.
Et mori iucundum est, cui nõ viuere licet, vt libet.
Quàm iucundum est viuere beatè absq; inuidia.
Quàm suauis vita est, si quis eam non intelligat.
Quàm suaue, viuere, non inuidente fortuna.

Auxi-

Auxilium.

Vir enim virum, & vrbs seruat vrbem.
Manus manum lauat, & digitus digitum.

Consilium.

Crebra adfert mortalibus incommoda egestas consilij.
Recta enim consultatione nihil tutius.
Consilium ante rem omnem captato.
Fato decretum est, vt malorum consiliorum
Fructibus malis compensentur mortales.
Noctu consultare sapientum est.
Sacra profectò res est consultatio.
Fortunatus casus praclariora, quàm nos, init consi-
Consultor bonus, non malus esto amicis. (lia.
Bonis consulas rebus haud improbis.
A viro sapiente consilium admittas.
Sapiens enim è sapientibus consilium nascitur,

NVPTIAE SIVE CONIVGIVM & nuptialia pracepta.

Vitam honestam viues si vxorem habueris.
Vxorem ducturus, in vicinos intuere.
Beatus tibi eris ipsi, si diuitem duxeris.
Duo sunt qua vxorem ducturo cernenda sunt;
Aut blanda facies, aut boni mores.
Hac enim alunt beneuolentiam mutuam.
Mulierem quare negociorum sociam.
Mores pecunijs anteponere, qui vxorẽ ducit, debet.
Et nos hoc modo vxores ducere oporteret
Omnes, Iupiter seruator, vt fructum inde perciperemus.
Non explorare qua ad rem nihil faciunt (remus.
Quis nam eius, quàm quis ducit, auus, aut qua fuerit auia.

Mores

Mores autem eius quæ nubit, cum qua
Viuetur, neque exquirere neque intueri,
Sed ad mensam proferre dotem, vt
Sitnè argentum legitimum pensator videat,
Quod ad quinq; menses domi non supererit.
Eā verò, quæ per omnē vitā intus sedebit semper,
Nullo modo considerare, sed temerè sibi ducere
Ingratam, iracundam morosam si ita contigerit,
Et loquacem. Circumducam filiam meam
Per totam ciuitatem Vos qui vultis eam accipere,
Dicite, considerate, quantum malum
Accepturi sitis. Necessum enim est mulierem esse malam.
At fortunatus ille qui minimū malorū sumpserit.
Non ducenda est vxor si verò semel duxeris magnam
Dotem, & vxorem ferre tacitum oportet.
(Nobisq; mares de te rogandi)
Quod est maximum, nunquam vir sapiens debet,
Nimis asseruare coniugem in ædium penetralibus
Voluptatis enim forinseca visenda cupida est.
At in hisce planis abundè si versetur,
Intueaturq; quiduis & vbiq; præsens
Aspectum satiet, leuata malis est.
Nam & mares semper appetunt quod occultū est.
Qui autem repagulis & seris
Cōclusam seruat, quantūuis viro sapiēs videatur,
Vanus est, & sapiens nihil sapit.
Quæ enim nostrum foris habet animum,
Celerius sagitta, volucriq; abducitur:
Ita vt etiam Argi crebras oculorū pupillas fallat.
Et præter mala ea ingens quoq; ludibrium,
Et maritus simul inutilis et foemina disperierunt.
Quæ grauia & molestia fuerunt tibi,
Vides in eo (coniugio) bona autem non vides.

Quòd

Quòd vxorem ducere non bonum sit.

Molestiarum expertem vitã duces absq; nuptijs.
Voluntaria molestia est liberorum satus.
Qui vxorem ducere decreuisti, scias oportet, te
Boni participẽ futurum, si accipias paruũ malũ,
Vxorem ducturus ad poenitentiam pergit.
Nuptiæ enim hominibus malum est optabile.
- Male pereat quisquis vnquam
Primus duxit vxorem, deinde qui secundus,
Tũ qui tertius, tũ qui quartus, tũ qui postremus.
Iunctus matrimonio non est liber,
.. Ne ducas vxorem, si sapis
Hoc viuendi genere relicto. Duxi enim vxorem
Ipse, idcirco tibi suadeo ne ducas.
Certa res est, & iacta est alea,
Absolue, incolumis & saluus sis nunc verè.
In negociorum enim pelagus te ipse conijcies,
Nõ Libycũ nec Aegæũ, vbi de trecẽtis nõ perierũt
Tria nauigia Et qui duxit vxorem, ne vnus quidem prorsus saluus euasit.
Aut oportet solum viuere, aut natis iam liberis
Mori parẽtẽ Adeò omnis deinceps vita acerba est.
Nullus mihi charus vxorem ducat.
Vxore ducta te vitæ seruum existimato.
Sponsa indotata libertatem non habet.
Quale est liberorum parentem esse? molestia,
Cura, metus, præterea nihil est.
Homo qui non ducit vxorem, malam non habet.
Qui diuitem vxorem ductam cupit,
Is aut poenam iratorum luit deorum,
Aut beatus nomine, miser esse vult.
Cum quis pauper vxorem ducere decreuerit,
Allatas ab vxore pecunias acceperit,

seipsum

Seipsum tradit, non ipsam ducit.
Nihil est miserius patre:
Nisi quis alius fortè pluriũ liberorũ pater fuerit.
Paternã hæreditatem habeat oportet verè beatus:
Quæ autem cum vxore domum ingrediuntur,
Neq; tutò neq; hilariter possidentur.
Vitam facilius degas si te à muliere abstineas.
Nuptiæ, si quis verè consideret,
Malum est illud quidem, sed necessarium malum.
Vxorem habere, esseq; liberorum, Parmeno,
Parentem, solicitudines vitæ multas adfert.
O' ter infelix qui pauper cùm sit vxorem ducit,
Procreatq; liberos, quàm improuidi consilij est vir.
Qui nec præsidium necessariorum habet,
Nec in rebus aduersis ad reliquum vitæ
Id contegere pecunijs potest;
Sed in aperta & calamitosa vita
Tanquam in hyeme viuit, & molestiarum
Omnium particeps, bonorum compos esse nequit.

Risus.

Risus intempestiuus mortalibus graue malum est.
Ridet stultus etiam si nihil ridendum adsit.

De Agricoltura, quòd bona sit.

Rusticum esse te simulas cum malus sis.
Nimirum virtutis & vitæ degendæ magister
Libera cunctis ager est.
Salue chara tellus, iam à multo tẽpore te cernens
Saluto. Hoc enim cuilibet telluri
Non facio; sed cum meum intueor prædium.
Quod enim me alit, id ego iudico deum.
Charissima terra mater q̃ valde veneranda res es,
Mente præditis, multumq; æstimanda, (ceptam
Quàm oporteret, si quis te paterna hæreditate ac-
Terrã deuoraret, cum posthac perpetuò nauigare,

Et

Et neque terram contingere, vt is sentiret
Quantum accepisset bonum cui non pepercerit.
Fortes efficiunt quæ mala nutriunt loca.
O' quã suauis est solitudo ei qui malos odio habet.

Amplius de Agricultura in contrarium.

Agrum iustiorem à nemine coli puto:
Profert enim quotquot dijs grati sunt flores
Hederam, laurũ; & si hordeũ seminauero, omnino
Iustè mihi reddit tantũdẽ quantũ ei commisero.
Inter hostes excellere vir debet:
Agrum enim colere opus est serui.
Habet amaritudinis nõ nihil agricultura dulcedo.
Agricolarum vita voluptatem capit,
Dum tristitia spe futurorum solatur.

De Senectute.

Labefactat omne senecta robur corporis.
Senex amator extremum infortunium est.
Senij vitiosi quæ mutatio fieri potest?
Sententia senis tutior est quàm iuuenis.
Præstantiores sunt senum sententiæ.
Veniet qui in senectutẽ omnem culpam trãsferat.
Præclarum senescere, itemq; demum nõ senescere.
Colloquia seniorum amato.
Molestus vir est inter iuuenes senex.
Non enim cani prudentiam gignunt capilli,
Sed quorumdam mores natura seniles sunt.
Non est amante miserius
Quicquam sene, nisi alius senex amans.
Nam qui rebus ipsis vti vult quæ abierunt,
Per tempus quo nam is pacto miser non sit?
Molestum est tempus multum. ò grauis senectus
Vt nihil boni, sed multa difficilia i habes
Viuentibus, & tristia. Omnes amen ad te

Perue-

Peruenire votis studijsq; contendimus.
Asperum quoddam pecus est senex domi
Manens
Canities temporis indicium non prudentiæ est
Senectutem metue, quoniam non venit sola.
Acerba moles est senectus mortalibus.

De cognoscendo seipsum.

Hominem esse te semper memineris
Multis de causis non bene dictum est
Illud: Nosce teipsum. Vtilius enim foret, si dice-
Nosce alios. (retur,
Vindica teipsum ab omnibus prauis moribus.
Nosse seipsum est si res
Intuearis tuas & quid tibi sit faciendum.
Nosse seipsum vbiq; est vtile.

Vide titulos de Humilitate & Superbia.

In Parentes.

Mater magis amat liberos quàm pater.
Suum enim ipsa filium cognoscit, ille putat.
Hoc vnum pudet me, Clitophon, patrem
Non sustinebo intueri,
Iniustè: cætera facilè perficerem,
Parentes velis ante omnes in honore habere.
Parentes honora, & amicis benefac
Nullum est aliud grauius malum, quàm nouerca.
Accusans in iudicio parentes, insanis miser.
Sperate si parentes colas, prospera vsurũ fortuna.
Suaue est cũ pater pro iracundia prudentiã habet.
Pro deo maximo prudentibus parentes sunt.
Alteri dij sunt prudentibus parentes.
Abundè viues si senes alas parentes.
Parentes quosdam tibi deos esse puta.
Lex iubet vt secundũ Deũ parentes honorentur.

Qui asperrimus est admonendo filium,
Verbis quidem est amarus at factis pater.
Qui patrem habet implacabilem adolescens,
Odiosumq́ in ædibus magna mala nactus est.
Nunquam veraces patris in filium
Minæ solent esse neque amantis in amantem.
Nō est quid auditu suauius, quàm habitus sermo
Patris apud filium. qui laudem contineat.
- Non dura tractatione
Puellus emendandus est sed quadam persuasione.
Aduersus filium non excandescit bonus pater.
Filio maximum bonum est prudens pater.
Filio si alacri animo, quod postulat, præstes,
Curatorem vitæ re vera non insidiatorē, habebis.
Non est difficile patrem agnoscere, quoniam
Qui maximè amat, idem ob minima irascitur.
Patris minæ non valde terrent.
Filium beneuolentia patris meliorem facit.

De Mulieribus.

Vitæ raritas est hominibus mulier.
Foemina domo aut pernicies est aut salus;
Foemina enim nihil nouit præter ea quæ vult.
Foemina fœminæ nihil vnquam præstat.
Mulier frugi domus est gubernaculum.
Foemina iusta vitæ salus est.
Foemina prorsus natura est sumptuosa
Mulier sumptuosa res est molesta, neque sinit
Maritum pro arbitrio viuere Fit tamen aliquid
Boni ex ipsa, iuuenes; si in morbum incidat
Qui eam habet, studiosè curam eius gerit;
Cum infortunato vna manet; mortuumq́
Sepelit, contegitq́ familiariter. Intuere
Ad hæc, cum angit te quid rerum quotidianarum.
Sic enim rem omnem feres; at si recensueris

Semper

Semper quod angit, nihil autem contrà opponas
Eorum quæ dicta sunt, ad extremum non poteris.
Foeminæ frugi est custodire domum.
Vxorem bonam nancisci non est facile.
Foeminæ non dedit natura imperium.
Mulier foelix est, quæ maritum sui amantẽ habet.
Foeminæ mores ornamento sunt, non aurea.
Foeminæ ne credas tuam ipsius vitam.
Mulieri omni silentium adfert decus.
Ingeniosæ enim sunt dolis excogitandis foeminæ.
A' foeminis perit magnus mundus.
Nam in mulieribus fidem cernere non licet.
Intus maneat foemina, oportet,
Bona, quæ si foras exeat, nullius est pretij.
Operosum est ex oratione foeminæ fidem accepisse.
Est autem
Terror ingens foemina, cum mitia loquitur.
Zelus vxoris totam vastat domum.
Multis de causis non viuere mulierem oportebat.
Mare, ignis, mulier, mala tria
Ferarum omnium ferocissima est mala mulier.
Thesaurus est malorum mala mulier.
Venenum est aspidis mala mulier.
Par est leænæ & foeminæ crudelitas.
Tela mulierum muniæ sunt, ac non conciones.
Atqui reputo ego miser, qui expecto me
Gratiam ab vxore reportaturum, ne dumtaxat
Malum quid recipiam, ac præclare habet.
In foemina rerum beneficium innascitur.
Bonum est mulieris bonos mores inspicere.
Præclara stirps est in vita mulier.
Cum leone satius est viuere, quàm cũ muliere vi-
Molestia præsens perpetua est mulier. (ctitare.
Plenum malis est onus foemina.

Foemi-

Foeminam nec conuicijs petas nec moneas.
Foeminam in concilium nunquàm admittas.
Cum multa in terra marique fera sint,
Omnium maxima mulier fera est.
Vbi foemina sunt, omnia illic sunt mala.
Nihil est muliere deterius, ne pulchra quidem.
- Non admodum
Solet verum dicere quicquam foemina.
Multi mulierum causa sunt infortunati.
Sordes foemina adnascuntur pecuniosa.
Iucundum malum est viris mulier.
Tunc foemina maximè metuenda sunt,
Cum quid blandis verbis affingunt.
Vxoris terminos excedis, ò mulier,
Per aulam. Aulica enim porta extrema,
Domus libera foemina censetur.
Vlterius autem progredi, & in viam cursitare,
Aliosq́; probris vexantem, canis est opus Rhode.
Superba res est speciosa mulier.
Ob vxorem & amicum laborandum est aliquid.
Natura mulier & effrenis est & aspera.
Tempestas hyemis est viris domi mulier.
Multò deterius est irritare vetulam, quàm canē.
Quàm infida res est foemina natura.

IN PLEBEM.

TVmultum plebis fugito, atq́; petulantiam;
Robusta plebs est, at mentem non habet.

Calumnia.

Vincit calumnia quaq́; præstantissima.
Qui calumnijs statim fidem adhibet,
Aut malis is est præditus moribus,
Aut animum puerilem prorsus habet.

Calum

Calumniator est in vrbe atrox lupus.
Non est contemnenda calũnia, ne si valde quidẽ
Falsa sit; quam amplificare quidam norunt.
Propter quos eiusmodi si caueas, rectè feceris.
Nihil est calumniatore laboriosius.
Nam ex alieno peccato
Semper is necessariò suam reprehensionem capit.
Opinio maiori crimini datur quàm actio.
Falsa calumnia vitam labefactat.

De Iustitia

At quisquis potens iniuriam inferre, non vult.
Vir iustus est, qui nemini infert iniuriam.
Viri iusti fructus non perit
Rectam ingredere viam, si iustus es.
Vita iusta finis bonus est
Iusti iniuriam facere nesciunt mores.
Iustus esse, quàm mitis malis.
Iustus fueris, si moribus pro legibus vtaris.
Iustus esto, vt & iusta consequaris,
Si affectos iniuria, pater, fugimus,
Quibus nam opitulabimur alijs facile?
Omni tempore quod iustũ est, præpolleat oportet.
Est iustitia oculus qui cernit omnia
Hostes vlciscere non tamen cum tuo damno.
Da operam vt ex iustis victum tibi colligas.
Pariter amicis atq; inimicis iudicato.
Aequabilem te omnibus præsta, etiamsi vita excellas.
Aequabilitatem sectare, plus habendi cupiditatem fuge.
Noli quod inutile sit, id iustum censere.
Cum iusto viro semper commercium habeto.
Nihil nocere didicisse, Laches,
Vitæ studium aptum & elegans esse iudico.

Nihil nocere humanitatis opinionem adfert.
Nihil nocere omnes homines decet.
Iusti viri opinionem reÿce,
In factis omnia iustè agentis lucrum facies.
Moras aqui, res est pretiosissima.

De Timiditate.

Quid? multa caueat oportet, qui multa formidat.

In Gloriam Locus.

Gloriam tibi relinquendum curato.
Benè audire quàm ditescere malis.
Inani autem gloria nihil est miserius.

De Dominis & Seruis.

Seruo peius nihil est ne bono quidem.
Si omnibus in rebus seruire seruus discat,
Prauus erit: libertatis partem dato,
Id longè optimum eum faciet.
Vnus est seruus domus, herus ipse.
Mihi pro vrbe refugio, lege,
Et aqui & iniqui cuiusuis iudice,
Herus est ad eius vnius nutum me viuere oportet.
Angit me seruus qui plus quàm herus sapit.
Quisquis nactus herum ociosum
Et leuem decipit famulus, non video, quàm
Is magnam rem confecerit,
Stolidum stolidiorem faciens.
Cui contigit prudens seruus,
Et nihil est in vita praclarius.
Non est famulis facienda iniuria,
Cum aliàs tum præsertim cum bono animo non maligno
Lapsus fuerit. Hoc enim valde indecorum est.
Quid frustra bonus es? herus
Ipse perdit omnia: tu verò nihil accipis.
Teipsum conteris, nihil ei prodes

Quàm iucundum seruo bonum herum consequi.
Quanto melius est bonum herum nactum esse,
Quàm deiectè & malè viuere liberum.
Tutissimum est seruo quod vulgò fertur, vt cum quid.
Rectè iubetur, perficit.

De Infortunio & Infelicitate, & quòd non sit gaudendum ob alienas calamitates.

A viro cui res sunt aduersæ procul amici.
Seni misero qui sua mala
Dabat iam obliuioni memoriam refricasti,
Ac vt miser esset denuò author fuisti.
Infelices alij felices alij sint oportet.
Dercippe aut Mnesippe, quicunque nostrum audiuerunt,
Aut affecti sunt malè ab aliquo,
Ad benignos amicos omnibus confugium patet.
Etenim collugentem sine ludibrio,
Et vna indignè ferentem, cum familiariter cernit
Nostrum vnusquisque præsenti cessat
Hoc maximè tempore dolere.
Cadente quercu ligna quisquis colligit.
Deteriori malis esse fortuna quàm maledicus.
Ingenuo irridere longè
Turpius est, at dolere, humanum,
Extrinsecus sunt qui fortunati videntur:
Intrinsecus verò sunt omnibus hominibus pares.
Viro malè fortunato malum ne effingas:
Nam ex voluptate nascitur infortunium.
Maximum est ergo solatium lapsis,
Si præsentes propè cernant qui condolescant.
Homo semper infelix natura credulus est.

Proxi-

Proximum enim plus se sapere putat
Ille, quem sua rationes semper fallunt.
Infortunato ne insultes, cõmunis enim est fortuna
Infortunatus de te nunquam desperes.
Communia omnia arbitrare infortunia.
Res plena doloris est, cum quis vixit beatus,
Et successore desertam domum habet.
Nihil est miserabilius quã cũ in senectutis limine,
Bonis praeditus morib iniquã experitur fortunam.
Hei mihi, nam repentinum infortunium insaniam parit.
Nihil passus es mali, nisi tibi adsciveris.
Nihil me magis angit quàm cum bonis moribus praeditus
In difficili quadã conditione vitae fuerit conclusus.
In meum infortunium latens palàm
Proferre, celandum potius id censeo.
De vicinorum Infortunijs ne gaudeas:
Fortunae enim obluctari non facile est.
Infortunatorum nobilis nullus amicus.
Me miseram quae sola calamitates tales experior
Quas prae immanitate nemo facile crediderit.

DE CONTINENTIA ET Sobrietate.

Ventris omnem habenam comprime.
Aluus & multa capit & pauca.
Praestat sobriũ esse quã nimia crapula exagitari.
Vide titulum περὶ ἀσωτίας καὶ ἀκρασίας.

De pace & tranquillitate.

Pax agricolam inter saxa etiam alit
Bene: sed bellum in plano solo quoq; malum est.

O' veneranda pax vitifera quo te nomine appellabo?
Vnde verba satis magnifica sumam?
Quàm iucunda est improborum morum osori
Solitudo, & nihil meditanti
Mali, satis ad honestè viuendum est si agrum possideas.
Plebis plausus conquirere, quæq; in vrbe sint
Hæ delitiæ splendent illæ quidem, sed exiguo tempore

De Spe.

Spes alit ex mortalibus inanes.
Vir infortunatus spe seruatur.
Nihil non speres ad senium vsq; mortalis cum sis.
In spe sapientibus vita habenda est.
Adeo res laboriosa est expectatio.
O' Iupiter colendissime spes quantum est malum?

In Laudem.

Omnes enim dum laudantur mortales, lætantur.
De te ipso ne spargas encomia.
Amicorum laudem magis quàm tuam prædica.

Experientia.

Ipsa te bene docent vitæ negocia.
Peritia enim imperitiam exuperat.

Cura & studium Rei familiaris.

Nisi conseruaueris parua, perdes magna.
Curæ & diligentiæ omnia serua subijciuntur.
Quid hoc puer? scilicet pro ministri hercle officio
Processisti. Nam figmenta enim fingimus,
Noctemq; insomnem ducimus: & nunc adhuc.
Infecta sunt nobis vniuersa.

Vide locum περὶ φαιδωλείας.

De Periuro.

Deum peierans ne existimes te latuisse.
Confudit hodie fidem nostrum seculum

Vide locum de Iureiurando.

Amor

Amor & Venus.

At voluptas quædam amantes demulcet
Ex congressu? Qui fit igitur vt alter hac potitus,
Nihil patiatur, sed ridens abeat,
Alter pereat? certus morbus est
Animi, qui statim ictus intrinsecus vulneratur.
At cum amantem, vt sapiat, quis adhortetur
In quo suam operam perdat, is cernat.
Solus amor hominibus inconsolabilis est.
Hera, nihil est amore valentius:
Ne ipse quidem, qui in coelo dijs imperat,
Iupiter, sed eo vrgente nihil non facit.
Amor in ipsis etiam negotijs ociosus est:
Amat specula & cæsariem flauam,
Fugit labores. Hoc vnum mihi argumento est:
Quòd nemo mortaliũ victum mẽdicans amauit.
Sed in opulentis puber hic innascitur.
Amor æquus fructum statim adfert.
Amorem grauem habemus. Ex ijs quæ dicuntur,
Elige optima, nimirum quòd infidus sit amor,
Inq; pessimo pectore habitare soleat.
Amorem sedat fames aut æris penuria.
Venus tenebras amat;
Lumen autem temperantiæ necessitatem affert.
- Et ipsa natura
Quoque ductilis est omnis amans.
Venus enim ne admonita quidem remittitur,
Siq; rursus vi cogas, magis protendi solet.
Et postea bellum parit, adq; euersionem
Domorum ista sæpenumero procedunt.
Ira amantis exiguum tempus durat.
Cum ab amante audaciam abstuleris, actum est;
Et in Ialemos ipsum inscribit amorem.
Tu verò ò pessime omnium deumq; & hominum

Aut ne ſuade quæ mala ſunt videri bona,
Aut amantibus propitium te præſtato.
Amor inter deos
Potentiſſimus eſſe, vel inde apparet,
Quòd homines propter iſtum alios deos peierent.
Facultates qui mediocres habent,
Cum iuuenes ſunt, vt ament iubeto.
Qui verò in ſenectutem rem differunt,
Iuueniles pulchritudinis vſuras protendunt.
Quo vultu vnquam domitus
Eſt nugato? Eum enim omnes
Amarent. Nam aſpectus par iudicium habet.
Amor autem etiam
Tenebras offundit, vt videtur, his qui rationi con-gruentem
Et honeſtam vitam viuunt
Heu heu amores quantum malum pariunt hominibus.
Natura enim eſt amor
Admonenti ſurdus: ſimulq́; non facile
Eſt iuuenem vincere & Deum hunc oratione.

De nobilitate: quòd nobiles illi ſint, qui ſecundum virtutem viuunt, etſi non claris, nec bonis moribus præditis parentibus orti ſint.

Vir optimus degener nullus euadat.
Perdet me genus. Ne dicas, ſi amas me
Mater, ad rem quamlibet genus, quibus natura
Boni nihil eſt peculiare,
Eo confugiunt ad monumenta,
Et genus, numerantq́; quot auos habeant.

Ne

Ne unum quidem cernere licet aut proferre, cui
Non sint aui, alioqui quonam pacto nati essent?
Quos si proferre nequeant, propter aliquam
Loci mutationem, aut amicorum destitutionem,
Quid proferentibus, sunt ignobiliores?
Qui suapte natura procliuis ad bona fuerit.
Etiam si matre Aethiope genitus sit, nobilis est.
Ex Scythia putas damnum fieri: Anacharsis nonne fuit Scytha:
Nullum generis nostri discrimen esse puto;
Sed si rectè perpenderis legitimus est,
Qui bonus est, qui malus, spurius.
Bene nati & educati rectè,
Etiam inter malos, bonam famā habeant oportet.
Ingenuum hominem ludibrio esse multo
Turpius est; at dolere, humanum.
Non liberi & ingenui munus censui,
Ferre voluptatem contumelia coniunctam.
Quod bonum est id generosissimum esse oportebat.
Ingenuo semper de se magnifice sentiendum.

De Beneficentia & Gratitudine.

Acceptum beneficium ò homo remunerare, & iterum accipies.
Gratiarum actio est gratia remuneratio,
Praclarus vero thesaurus est gratia collata.
Opportunā gratiam consecutus opportunā dato.
Gratiā consecutus memento, largitus obliuiscitor.
Gratiam largire verùm pro tuis facultatibus.
Gratiam iustam & largire & cape.
Quàm magnum est, exiguum tempore datum.

Eunuchus.

Eunuchus alia quadam fera est in vita.

De Felicitate, & de illis qui fortunati sunt indignè.

Aequum est in rebus prosperis meminisse Dei.
Si quis accedens deorum potens mihi dicat,
Vbi mortuus eris, iterum de integro eris:
Eris verò quicquid voles, canis, ouis, hircus,
Homo, equus, te enim reuiuiscere oportet.
Id fatatum est, quod vis elige;
Omnia statim potius, me dicturum arbitror,
Fac me, quàm hominem, iniustè prospera
Et aduersa vtitur fortuna, hoc animal vnum.
Præstantissimus equus studiosius quàm
Alius curatur; bonus si fias canis,
Longè in maiori eris honore & precio quã malus.
Gallus generosus alio cibo,
Nutritur: degener etiam formidat constantiorem.
Homo si sit bonus, nobilis, valde
Generosus, nihil emolumenti hoc tempore.
At assentator optima omniũ fortuna vtitur post
Calũniator, veterator tertias sibi partes vẽdicat.
Asinus fias præstat, quàm deteriores
Cernas teipso illustriorem vitam degentes.
Nonnulli prosperis in rebus desipiunt.
Suauissimum est cum bene fortunatus mentem habet.
Propria prudentia nemo felix est.
Beatus quisquis beatis obsequitur.
Beatus qui & opes & mentem habet.
Hac enim bene cum opus est, is vtitur.
Non est homo qui per omnia sit felix.
Multi felices sunt, non sapiunt autem.
Prospera vtentem fortuna sapientem censemus.

Ei

Ei enim qui prospera vtitur fortuna, omne solum patria est.
Fortunatorum omnes sunt cognati.
Quàm facilè ruunt splendida fortuna.

Pietas.

Iustum est, vt in prosperis rebus Dei sis memor.
Iustam rem aggressus adiutorem Deum habebis.
Deum cole, & omnia tibi ritè succedent.
Mortalis natus, ne sapias supra diuinum numen.
Religionis causa & loquere & disce.
- - Vt sacrificant fures parietibus effractis,
Cubilia portantes, vrnas, non deorum
Sed sua gratia Thus pia res est,
Et libum id accepit Deus in ignem
Totum impositum: Hi verò lumbo extremo
Et felle item Dijs ad vescendum
Imposito ipsi reliqua deuorant.
Vide locum περὶ θεοῦ.

In Precationem.

Ad iustas preces non obsurdescit Deus.

In Inimicitiam.

Immortales inimicitias ne geras, cùm sis mortalis.
Inimicis diffidens nunquam detrimentum capias.
Hostes vlciscere, non tamen cum tuo detrimento.
Sermonem hostium nequaquam amicum censeas.

IN VOLVPTATEM

Omnia quæ viuunt & solem intuentur
Nobis communem, ea voluptati seruiunt.
Nam ex voluptate nascitur infortunium.
Intempestiua enim voluptas noxam parit.
Fuge voluptatem, quæ postea nocitura sit.

Ingenium & mores.

Praui mores naturam peruertunt.
Mores iustos malus non attingit sermo.
Præclarum gignunt fructum graues, & sancti mores.
Ne iudices ex pulchritudinis aspectu, sed morum.
Moribus te ingenuum seruato.
Salutis signum morum leuitas est.
Mores æqui, res est pretiosissima.
Corrumpunt mores bonos colloquia praua.
Vt omnia honori sunt, præterquam mali mores.

DE MORTE QVO'D INEVITAbilis sit. Et insuper etiam de Sepultura.

Immortalitas non est, ne si congesseris quidem
Tantali talenta quorum satis fertur habuisse.
At morieris, eaq; cuipiam relinques.
Necesse cunctis est mori mortalibus.
Vita mala mors optabilior
Aut viuendum sine moerore, aut fceliciter moriendum.
Mortuos etiam grati sermones deserunt.

Mortalis

Mortalis cum sis natus, ne mortuum rideto.
Praclarum mori illis, quibus vita contumeliam adfert.
Satius est non viuere quàm misère viuere.
Quem dij amant moritur iuuenis.
Nunquam æmulatus sum cadauer sumptuosum,
Nam spatij non amplius occupat, quam valde pauper.
Quid autem haberet mortuus
Boni, cum isthic viuentes nihil habeamus?
Mori non turpe est, sed turpiter mori.
Vide titulum περὶ βίου

De Deo.

Cuique homini genius comes adsistit
Statim ac natus est, dux vitæ
Bonus. Malus enim genius non existimandus est,
Qui vitam lædit, quòd sit bonus. In totum enim
Oportet bonum esse Deum
Deus est bonis semper
Ipsa mens nimirum, vt videtur sapientissimis.
Itaque eum qui semper est dominus omnium,
Et pater, cum vnum perpetuò honorare decet,
Tot bonorum inuentorem & conditorem.
Deus causam parit mortalibus,
Cum omnino domum vexare vult.
Deus obsecundans omnia facilè efficit.
Nemo mortalium absque Deo bene fortunatus est.
Dei autem plagam non effugiet mortalis.
Deo volente etiam super vimine nauiges.
Deo & fortunæ repugnare graue est,
Mens nostra cuiusque Deus est.
Acutus Dei oculus ad res omnes cernendas.

Nullus Deus alterum seruat, mulier,
Hominem per alterum. Si quẽ enim Deum trahit,
Cymbalis homo, quò vult,
Is qui hoc facit, maior est Deo.
Sed sunt hæc audaciæ & vitæ instrumenta,
Inuenta ab hominibus impudentibus, Rhode,
Excogitata ridiculè in vita.
Nullus foris ambulans Deus mihi placet,
Vetula. Neque in domos ingrediens
Cum tabula metragyrtes.
Vtique enim est Deus, intueturq́ omnia.
-- Omnia sunt pulchra ratione
Sacrum. Mens enim est loquens Deus.
Quod enim nutrit me, id ego
Iudico Deum. quod autem nutrire solet,
Id non eget opibus indigentis.
- Oportet iustum Deum
Domi manere, seruantem erectos.
Terrori sunt diuina prudentibus hominibus.
Ne Plutum dixeris, quem non admiror, Deum.
Quem etiam pessimus quisq́ sibi comparauerit.
Vide locum περὶ χρηστότητος, de bonitate.

IN MEDICOS

M*Edicus garrulus est ægrotãti alter morbus.*
Multorum ingressus medicorũ me perdidit

DE OCCASIONE.

G*Ratiã habent omnia tẽpestiue vindemiata.*
Quercu delapsa nemo non lignatur.
Temporis occasio legibus longè præstat.
Opportunitatem nactus pauper multum potest.

Tempora

Tempora dissoluunt tyrannides.
Praclarum temporis omnia nosse momenta.
Dijudicat amicos tempus, vt ignis aurum.
Multarum rerum temporis occasio causa est.
Multos tempus viros, qui non sunt, facit.
Citissimè tempus transmutat negotia.
Occasionem precare, vt vbiq; propitiam habeas.
Verbum intempestiue emissum peruertit vitam.

In Pulchritudinem.

Ne iudices ex pulchritudinis, sed ex morum aspectu.
Cum natiuam pulchritudinem exornant mores Boni, dupliciter accedens capitur.
Quàm iucunda pulchritudo, cum mens temperans adest.

In Lucrum.

Optimum est, lucrum non spectare in omnibus.
Victum vndecunq; collige, preterquàm ex malis.
Volumus omnes ditescere, at non possumus.
Stude ex iustis tibi victum comparare.
Prauos mores fuge, & malum lucrum.
Lucrum prauum ne vnquam capessere velis.
Lucrum improbum iacturam semper adfert.
Turpia lucra calamitates efficiunt.
Parua lucra maiora detrimenta adferunt.
Vsura è liberis seruos faciunt.
Magni quaestus facilè aut ditant
Qui audenter nauigant, aut perdunt.
Lucrum arbitrare lucrum, si iustum sit.

In Adulationem.

Me Nomache in locum imperatoris constituite;
Nisi verberibus totum peponem fecero,
Nisi spongia molliorem fecero
Faciem ipsi
Bene compositus sit oportet, qui alienis vescitur.
Multi mensæ non veritatis amici sunt.

In Iudicium, & in Diuinam vltionem.

Ducit Deus malos ad supplicium.
Inexploratum ne punias quemquam.
Est iustitiæ oculus qui omnia cernit.
Dei autem plagam nullus subterfugiet homo.
Accusare & iudicare simul non licet.
Latere perpetuò te non cense, cum malus sis.
Acutus Dei oculus ad res omnes cernendas.
Qui antequam clarè audierit, damnat,
Is prauus est cùm malè sit persuasus.

In Occulta & obscura.

Relictis claris, ne persequaris obscura;
Aut ne quid occultandum aggrediaris, aut solus aggredere.
Suspicio graue est hominibus malum.

IN FAMEM.

Fames maximus angor est hominibus.
Fami enim nihil obluctari potest.

Multa.

Multarum rerum fames est magistra.

Oratio.

Viri conformatio ex oratione perspicitur.
Lingua multos ad interitum perduxit.
Lingua multorum est causa malorum.
Oratione enim nihil est fortius.
Oratio sola est medicina doloris.
Oratione sola mortalium vita administratur.
Oratione me persuasisti, medicina sapientissima.
Verbis remunerare, qui te verbis persuasit.
Moerori enim beneuola mederi solet oratio.
Maxima iracundia medicina est oratio.
Gladius vulnerat corpus, mentem oratio.
Sermo perturbationis animi medicus est.
Non est tacendum, sed loquendum, vbi opus est.
De factis non honestis, honestus non habetur sermo.
Bene dicentib nihil contradicere queo.
Verbum intempestiuè emissum peruertit vitam.
Sermonem iaculatus quispiã non amplius recipit.
Probabile vulgo nonnunquam vim maiorem
Et credibiliorem quàm veritas habet.
Imperiosa quadam res est copiosa dicendi sciẽtia.
Mores dicentis persuadent non ipsa oratio.
Seorsim & multa & tempestiua dicenda.
Animi ægrotantis medicina est oratio.

In Tristitiam.

Tristia semper à vita repelle.
Atqui est cognatus quidam dolor vitæ.
Viuere absq; molestia nemo mortaliũ potest facilè.

Si lacryma nobis malorum medicamentum esset,
Semperq; qui plorasset dolere cessaret,
Auro dato lacrymas redimeremus ;
Nunc verò non auscultant res, neq; respiciunt
Ad has, here, sed eadem via,
Siue plores, siue non plores, procedent.
Quid igitur proficimus? nihil; verum dolor habet
Veluti fructum arbores, lacrymas.
Moeroris medicus est hominibus sermo.
Nam moerorē beneuolus mitigare potest amicus.
Moerores enim hominum ægritudinem pariunt.
Nemo sapiens exiguis de rebus angitur,
Non est dolore, si probè quis consideret,
Aegritudo natura maior in rebus humanis.
Non est hominibus malum moerore deterius.
Multa cùm natura hominibus omnibus mala
Insint maximum dolor est malum.
Multorum natura omnibus est causa malorum.
Moeror propter eum enim insania oboritur
Multis, & morbi insanabiles.
- Si respicias
Semper quod molestum est, & nullam opponas (animo)
Meliorem expectandam conditionem, nunquam non dolebis.
Interficiunt etiam aliqui seipsos præ tristitia,
Cum quòd infert moerorem maius est, quàm vnde speratur salus

Ebrietas. Vide tit. Prodigalitatis & Incontinentiæ.

IN COQVOS.

Coque vehementer mihi videris molestus.
Quot mensas instructuri sumus, tertiò

Iam

Iam me rogas: porculum vnum mactamus.
Octo mensas instruas, duas, vnam,
Quid id interest tua? vnam fac opponas.
Candylos conficere non est, neque qualia tu
Solitus es simul condire, mel,
Similaginem, oua. Omnia enim contraria
Nec sunt. Nam coquus enchytas facit
Placentas assat, alicam coquit & apponit,
Post salsamentum, deinde thrium & racemos.
Dulciaria verò ex aduerso faciens,
Carnes assat & turdos in bellaria.
Tum qui coenat, bellarijs vescitur:
Et vnguentis delibutus & coronatus,
Coenat iterum mellitis placentis ex turdis.
Ne vnus quidem
Coquum offendens indemnis euasit.
Sacra enim quodam modo nostra ars est.

De pœnitentia. Vide tit.

DE NAVIGATIONE, ET Naufragio.

SEcunda nauigatio est, vt, aiunt,
Vbi quis semel in periculo fuerit, idem denuo
Magni quaestus facilè aut diuites
Temere nauigantes reddunt, aut mortem ipsis fuerunt experiri.

In Iuuentutem.

Vigor aetatis prorsus nihil à flore differt.
Memento cum iuuenis es, te aliquando fore senem.
Iuuenis dum fueris bona multa fac discas.
Iuuenis cum sis, seniores audire velis.

Iuuenem

Peregrinus moribus illius loci pareto.
Peregrinans ne curiosus sis, & bene viues.
Hospiti maximè confert temperatio.
Hospitem nunquam afficies iniuria occasionem nactus
Peregrinus decet silentium magis quàm vociferatio.
Hospitam præponere hominibus in more est.
Peregrinis opitulans patria cōsequeris aliquando.
Hospitibus fidelibus fidelitate fias amicus
Peregrinos hospitare, nã tu quoq; peregrinus eris.
Hospites pauperes ne prætermittas, cum videris.
Valde se accommodare ciuitati peregrinus debet,
Nec vrbanũ laudauerim, qui præfractus euadat.
Et acerbus in ciues per imperitiam.

QVOD SIMILE SIMILI charum.

SEni senilis lingua iucundissima est.
Puer puero & mulier muliere gaudet.
Aegrotans vir ægrotanti, & infortunio
Pressus accinit periclitanti
Quàm suaue est viuere, si quis cum ijs, quos probat, viuat.

In Iram.

Homo cum sis iram temperare scito.
Omnia quæ iratus homo agit
Errata postmodum intelliget.
Lædit virum impetus animi, in iram lapsus.
Esto non celer, sed tardus ad irascendum.
Etsi vehementer angeris, nihil iritatus

Facias

Iuuenem silentium, magis quàm sermo decet.
Puellus non dura tractatione emendandus est,
Sed quadam persuasione.

In Leges.

Violentia præsente lex nihil valet.
Robusta lex est, si principem nacta sit.
Præclara sunt leges valde: at si quis spectet leges
Accuratius calumniator euadit.
Lex pulchra Ceæ ciuitatis Phania;
Cui læta non est vita, nec tristis fiet.
Lege omnia fiunt, & dijudicantur.
Legibus obtemperare debet, quisquis sapit.
Legibus patrijs obtemperare, honestum.
Nequaquam malis concedendum est,
Sed resistendum; alioqui sursum deorsum.
Nostra vita nobis imprudentib tota subuertetur.
.. Tria enim sunt, here,
Quorum opera fiunt omnia, aut ex legibus,
Aut vrgente necessitate, aut etiam tertiò consuetudine quadam.

Morbus.

Satius est corpus, quàm animum ægrotare.

DE HOSPITALITATE, & hospitibus siue peregrinis.

Hospitalitatis curam semper habeto, ne reijcias.
Peregrinatio enim multis modis difficilis est.

Pere-

Facias temerè. Irã enim ratione carentẽ cohibere
In perturbationibus maximè sapiens debet.
At iratus te temperes velim:
Ex iracundia enim gratiam nemo colligit, pater.
Viues vitam optimam si cohibeas iracundiam.
Iram compressisse & cupiditatem, honestum.
Iracundiam cohibe, vt rectè ratiocineris.
Ira multa facere cogit mala.
Ira amantium exiguo durat tempore.
Ira gratia secreta nunquam aperias amici.
Iram socij atq; amici ferre nititor.
Ira nullus fucus vnquam adnascitur,
Ipsa nunc imperat at si paululum deferbuit,
Intuebitur quod ex vsu magis sit.
Quantus labor est iracundiam cohibere?
Nemo cum iracundia tutò deliberauit.
Non est ira, vt videtur, medicina
Alia, quàm grauis amici oratio.
Iste tam acer ad iracundiam animus, tamq; asper
Indicium est omnibus statim animi pusilli.
Fugiendi semper sunt irati heri.

In Iuramentum.

Hominum improborum iuramentum in aquam scribe.
Iusiurandum etiam sancte iuraturus fuge.

IN PVEROS, AVT MAgis de Liberis.

Spontaneus dolor est liberorum satus.
Felicitatis est hoc, si cui sit filius prudens:
At filia, res est operosa patri.

Puella

Puella nubilis, etsi prorsus nihil loquatur,
Tacendo plurima de se dicit.
Beata res est filium bene moratum alere.
Beatus, cui contigere boni liberi.
Res plena doloris est, cum quis vixit beatus,
Et successore desertam domum habet.
Hac voluptate nulla maior patri est,
Quàm moderatum atq; prudentem vidisse aliquẽ
Liberorum suorum
Nihil est patre miserius,
Nisi alius fuerit plurium parens.
Columna enim domus sunt mares liberi.
Filio si alacri animo, quod postulat, praestes,
Curatorẽ vitae reuera, non insidiatorem habebis.
Amicitiae maximum vinculum est liberorum procreatio
Filia possessio est grauis, & quam vix gubernes.

Quære reliqua tit. de Nuptijs & Nobilitate suprà.

Disciplina & eruditio.

Stabilis possessio est hominibus eruditio.
Omnes eruditio mansuetos reddit.
In aliorum mala respiciens, doctus euasi.
Praemium virtutis est bona institutio.
Literae discenda sunt, & docto sapiendum.
Duplo plus vident qui literas addiscunt;
Baculus enim vitae est eruditio.
Optima est possessio hominibus doctrina.
Honestum est & senem didicisse vehementer.
Etiam in rusticis est eruditionis ratio
Maximum operaprecium est si doceri dideceris.
Qui literatus est, mente quoque abundat.

Litera-

Literarum imperitus videns nihil videt.
Homo, nisi verberibus castigetur, non eruditur.
Qui nihil nouit, nihil peccat.
Honorem adferunt mortalibus omnibus literæ.
Vt nihil est doctrina, nisi mens adsit?

In Adhortationem.

Omnes sumus in admonendis aliis sapientes;
At ipsi dum peccamus, non cognoscimus.

In Paupertatem, siue laus Paupertatis.

Turpissimè fers paupertatem, cum eius te pudet.
Semper censentur pauperes deorum esse
Homines frugi contenti sunt moderatis & necessariis.
Satius est bonum pauperem esse, quàm malum diuitem.
Occasionem nactus & pauper multum potest.
Leuissimum te malorum omnium mordet
Paupertas. Quid enim id est cui possit vnus
Amicus suo auxilio facilè mederi?

Vituperium Paupertatis.

Turpe est, simul & pauperem & imbecillũ reddi
Facilè ô Gorgia contemnitur pauper.
Etsi planè iustam causam dixerit, nam dicere
Aliquid accipiendi gratia duntaxat existimatur.
Et sycophanta statim, qui vestem attritam
Induit, vocatur; etsi ipsemet iniuriam patiatur.
Nullum grauius est onus paupertate.

Non

Non est vllum aliud maius paupertate malum.
Qui pauper in vrbe vitam agere vult,
Sibi deterius consulere desiderat.
Cum enim in delicatum & in ociosum
Intuebitur, tum demum licet videre,
Quàm is miseram & laboriosam vitam trahat.
Valdè malè herus sibi consuluit;
Ruri enim habitans non multum carperetur,
Cùm nullius pretij conditionis fuisset,
Habuissetq; solitudinem qua se contegeret.
Paupertas ingratos multos facit.
Paupertas ignobilem facit ex nobili.
Paupertatem & senectutem ferre difficile est.
Paupertatem ferre non cuiusuis; sed sapientis est.
Pauperes ociosos non alit ignauia.
Pauper ad omnes res formidolosus est,
Et omnibus se putat esse despectui.
Nam cui mediocris est fortuna, agrius
Omnia aspera, ò Lampria, tolerat.
Pauperum enim omnis oratio inanis est.

Vide locum de Diuitijs.

In Fidem.

Da operam, ne semper omnibus omnia credas.
Confudit nunc fidem nostrum hoc seculum.

In plus habendi cupiditatem.

Aequabilitatem serua, plus habendi cupiditatem fuge,
Malum maximum inter homines est insatiabilitas

Vide titulum de Auaritia.

Laus Diuitiarum.

Vires mortalium in pecunijs sunt.
Potest opulentia humanos quosuis efficere.
At si pecunias habeamus, habebimus amicos
Suauissimum est, facultatum esse compotem.
Beatus, qui & opes & mentem habet;
Hac enim bene cum opus est, is vtitur
Ita enim quisq; sentire debet, ac diuitias ferre;
Quæ nonnullis causam dedecoris attulerunt.
Memento cum diues sis, pauperibus opitulari.
Epicharmus quidem deos esse dicit,
Ignem, solem tellurem aquam ventos, stellas:
Ego verò vtiles deos esse sum arbitratus,
Argentum nostrum, & aurum.
Vbi enim illos in ædes collocaueris,
Pete quicquid voles, omnia tibi dabuntur;
Ager, ædes, famuli, argentea vasa,
Amici, iudices, testes, largire duntaxat.
Sic enim vel ipsos deos habebis obsequentes.
Diuitijs abundantem libenter quisq; videt.
.. Id vnicum tenebras offundit
Et ignobilitati generis, & morum improbitati.
Omnibusq; hominis cuiusq; malis
Multarum opum possessio. Cætera verò redarguuntur.
Aurum omnia patefacit, etiam inferorum portas.
Multorũ malorũ prætextus & velamen sunt opes.
Aurum præcipuè domi possidere velim

Vituperium Diuitiarum.

Habeto magnas opes, & diues.

Vocor

Vocor ab omnibus, a nemine verò beatus.
Bene audire quàm ditescere malis.
Ne properes ditescere, ne citò pauper fias.
Diuitiæ stultæ vbi potestatem nactæ sunt,
Illos etiam qui sapere videntur, stolidos reddunt.
Iniusti nihil committas diuitijs fretus
Argentum esse adolescens tibi videtur,
Non necessariorum quotidie vnum,
Precium exhibere posse, vt panis, farinæ,
Aceti, olei, maiorisq́; alius rei:
At non immortalitatis, ne si quidem congeras
Copiosa illa, vt fama fert, Tantali talenta;
Sed cum obieris mortẽ, aliquib post te relinques.
Ad quid hæc dico? neq́; tu, si valde ditescis,
Argento crede, neq́; pauperes vicissim
Nos contemnas; sed foelicitate tua semper
Exhibeas teipsum spectantibus dignum.
Cæcæ sunt diuitiæ, cæcosq́; respicientes
Ad se faciunt.
Superba res est, delicatior quàm par sit vita,
Quando diuitiæ possessorem suum deriuarunt
Ad alios mores, quos prius non habebat.

Comparatio Paupertatis & Diuitiarum.

Satius est si quis consideret vt par est,
Nõ multa iniucundè sed pauca iucundè possidere,
Et paupertatem sine molestia potius quàm diuitias acerbas.
Solent enim homines diuitum quidem
Sermones iudicare sapientes: cum verò aliquis
Ex tenui familia vir pauper bene dixerit,
Ridere. At ego frequenter sapientiores

Diuitibus viros pauperes video;
Et aliquos modica manu dijs sacrafacientes,
Magis esse pios quā qui boues immolant integros.
Eos putabam diuites, ò Phania,
Qui non sunt obnoxij vsuris, non lugere
Noctu, neq; hinc inde versatos per noctem,
Hei mihi, dicere: sed suauem & placidum quēdā
Somnum dormire: pauperes verò solum ita affici.
Nunc autem, & qui beati vocamini,
Vos similia nobis facere video.

De Republica.

Si iniuriarum authorem vlcisceretur
Vnusquisq; nostrum, & vna propugnaret,
Pariter ratus sibi esse illatam
Iniuriam & ciues vehementer mutuam iungerent operam:
Non in maius malum nobis cresceret
Improborum hominum genus; sed obseruati,
Et merito supplicio affecti,
Aut admodum rari essent, aut prorsus desinerent.
Difficile est, ò Pania,
Diuturnam consuetudinem breui tempore dissoluere.
Valde se accommodare ciuitati peregrinus debet.
Nec ciuem laudauerim, qui præfractus euadat
Et acerbus in ciues, per imperitiam
Vide titulos de Magistratu & Legibus.

In Curiositatem.

Alienis noli te ingerere malis curiosius.
Multi ocium exercent in rebus deterioribus.
Vbiq;

Vbiq; putrida est malarum rerum institutio.
Multa facere multos quoq; dolores habet.

In Malitiam.

Ducit Deus malos ad supplicium.
Agrestem esse te simulas, cùm malus sis.
Obscoeni nihil facito; neq; addiscito.
Vir inutilis ne censeatur amicus.
Vir malus in prospera etiam fortuna infortunatus
Viri improbi viscera nunquam mollescunt. (est.
Viri mali conuersationem semper declina.
Virorum prauorum iusiurandum in aqua scribe.
Malitia inemendabilis res est.
Malitiæ subduci nulla ratio potest.
Dolosum virum fuge quàm diu vixeris.
Deformis sim potius, quàm pulcher malus.
Nemo maleficus se talem profitetur.
Ab improbis factis manum habeto liberam.
Praua consuetudines naturam euertunt.
Dei opprobriũ est, cum mali bene fortunati sunt.
Intuitus aliquando rem turpem, ne concurras.
Improbus, & viuens & mortuus punitur.
Mali enim viri dona emolumentum non habent.
Malo cum viro ne prorsus ingrediaris
Cum malis versans, ipse malus euades.
Malum ferunt fructum mala facta
Semper latere te haud putes, cum sis malus.
Prodesse non mihi videtur qui malus est.
Malè quidem agendi occasio est exigua.
Odit malum, qui bonum verbum protulerit.
-- Non liberi & ingenui munus censui
Ferre voluptatem contumeliæ coniunctam.
Multas malitia cogitationes versat.

Malus est, quisquis non est frugi homo
Malum virum nequaquam tibi facias amicum.
Eumdem laudare, & vituperare viri mali est.
Opinio maiori crimini datur quàm actio.
Mali pessimos dicunt bonos.
Corrumpunt bonos mores conuersationes praua.
Gaudere de re neminem turpi decet.
Bonus vir malis non læditur sermonibus.
Quàm operosum est in morib: malis bene viuere.
Quàm omnia in precio habentur, præter malos mores.

IN SILENTIVM.

Linguam maximè da operam vt vbique contineas.
Damnosa est omnis lingua temeraria, et vana.
Silentio quis acerbius accusat.
Nonnullis silere melius est, quàm loqui.
Taciturni mores res est aspernabilis
Silentium enim sapientibus pro responso est.
Aut est tacendum, aut meliora dicenda
Aut dic quod sit melius silentio, aut prorsus tace.
Melius est tacere, quàm loqui quæ non decet.
Melius est tacere, quàm loqui vana.
Nihil est vtilius taciturnitate
Tacere præstat quàm quæ nō decent, verba facere.
Silentium sermone interdum optabilius.
Non oportet tacere & loqui, vbi opus est
Puer sile: in silentio multa insunt bona.

In Sapientes & Sapientiam.

Sapientia enim est & discere quæ nescis.

Sapientia

Sapientia diuitijs possessio preciosior est.
Nulla possessio preciosior est sapientia.
Sapiens enim nullus est, qui in omnibus offendit.
Sapiens secum facultates suas circumfert.
A sapiente viro consilium admittas.
Sapientem apud virum primùm inuēta est ratio.
A sapiente viro sapientia aliquid discendum.
Sapientes autem occultant propria damna.
Sapiens enim sapientibus consilium nascitur.
Sapientum consortio euades tu quoq; sapientior.

De Militia.

Difficile est militem salutis causam inuenire,
perditionis verò facile.
Conuicijs obnoxius, vt videtur existit,
Militis & hospitis habitus
Elegans miles, ne si quidem deus fingat,
Vllus fiat.
Manere domi manere inquam debet, qui liber est.
Aut non amplius fortunatus esse.
Quisquis exercitui imperat, cum nunquam fuerit miles,
Is planè Hecatomben hostibus educit.
Militia autem non fert vllam opulentiam,
Sed in diem vitam ducendam ac temerariam,
Quàm minimè salutarem experimur.

In Conscientiam.

Conscientia percellit animum.
Omnibus hominibus conscientia deus est.
Qui aliquid sibi conscius est, etiāsi fuerit audacissimus,
Conscientia tamen facit ipsum timidissimum.

De Temperantia.

Equidem nihil antiquius censeo temperantia,
Quia cum bonis semper versatur.
Nam in ijs quæ satis sunt, acquiescunt tempe rantes.
Aemulare probum virum & temperantem.
A' factis inhonestis non proficiscuntur honesta verba.
Eheu. Id diuinitùs missum hominibus malum,
Cum quis bonum videt, nec tamen vtitur ipso.
Quid enim mortalibus opus est, præter duo sola,
Cereris alimentum, & aquæ poculum?
Quæ in promptu sunt, & alere nos possunt.
Penu virtutis est temperantia.
Terrori sunt diuina hominibus frugi.
Ne Plutum dixeris, quem non admiror, deum;
Quem etiam pessimus quisq; sibi comparat.

IN HVMILITATEM.

Hominem te esse fac semper memineris.
Stude omnibus placere, non tibi soli.
Si mortalis es, vir optime, mortalia quoq; cogita.
Mortalis natus, ne sapias supra diuinum numen.
In comiter salutantibus inest quædam gratia.
Aequabilẽ te omnib præsta, etiamsi vita excellas.

In Artem.

Portus rerum aduersarum hominibus ars est.
Qui primus artem mendico altricem excogitauit,
Multos miseros fecit Simplex enim erat remediũ,

Vt

Vt qui ſine moleſtia viuere non poſſet, mortem obiret.

Non valde bene ſeneſcunt artes,
Niſi dominum nanciſcantur auarum.
Paterna bona tempus interdum facit
Aliena, ſeruat autem ipſa corpora
Vita verò vnicum præſidium in artibus eſt.

Pertinet huc locus de Diſciplina.

In Honorem & Reuerentiam.

Cole eum qui ſemper tibi prodeſſe poſſit.
Dum laudantur omnes mortales, lætantur.

Audaciæ laus.

Non eſt vita maius, quàm audacia, viaticum.
Nulla præſtantior dea eſt quàm audacia.
-- Turba enim audaces habent
Inter cogitandum quidem imaginationes arduas;
In agendo autem, ſi commodam occaſionem obſeruent,
Inopinatam artem reperiunt.

Vituperium Audaciæ.

Audere non eſt, amice, viri ſapientis.
Audens eſto cum iudicio, audax minus,
Ne reſpicias iſtud, an iunior ætate dicam,
Sed an ſapientis viri verbis vtar.
Canicies non adfert prudentiam,
Sed ingenium quorundam natura ſenile eſt.
Multa audere, multa & peccare facit.

Alij communicans, ipseq; sis dominus;
Sin autē nec te ipsum, sed à fortuna omnia habes,
Quid est pater, quod istorum alicui inuideas?
Ipsa enim alteri, fortassis indigno cuipiam,
Te prætermisso, omnia rursus attribuet.
Itaq; censeo equidem, quandiu
Dominus es, tibi liberaliter ijs vtendum, pater,
Omnibus opitulandum, ditescendos
Quàm poteris plurimos tibi amicos.
Id enim immortale est; & si quando collabaris,
Illinc hoc idem tibi suppeditabitur.
Longè præstantior est viri amicitia aperta,
Quàm opes opertæ quas tu defodisti.

In Inuidiam.

Inops factus opulentis ne inuideas.
Adolescens haud mihi intelligere videris, quod
A suo quaq; vitio putrefiant.
Et omnes corruptionis causæ veniunt intrinsecus;
Vt ferrugo, si conderes ferrum;
Si vestes, tinea: teredo, si lignum spectes.
At pessimum malorum omnium inuidia
Tabidum fecit, faciet, & facit hominem,
Propter animæ prauæ impias cogitationes.
Nam inuidias sibi ipsi hostis extitit:
Spontaneis enim semper tenetur molestijs.

Auaritia & plus habendi cupiditas.

Omnes ditescere volumus, at non possumus.
.. Operosum est inuenisse cognatum
Pauperis, nemo enim fatetur
Eum ad se pertinere, qui auxilio aliquo

Egeat

Aliȷs largitur, aliȷs adimit Fortuna.
Omnibus enim prudentibus auxiliatur fortuna.
Multos aduersis rebus pressos erexit fortuna.
Facilius ferenda quæ interueniunt fortunæ.
Stertunt res, cum adest fortuna.
Versat aũt omnia quæ sunt in vita exigua fortuna
Fortuitus casus præstantiora quã nos init consilia.
Quæ molesta enim sunt, & tibi dolorem adferũt,
Cernis in teipso; bona autem non item vides.
Inuenias autem ex omnibus, Simyle, nullum
Bonum in quo non etiam insit malum
Mortales res omnes mutationes multas habent.
Ingruentia incommoda expectanda sunt omni
Homini Nihil enim stabile permanet.
Artem fortuna correxit, non ars fortunam.
Fortuna res humanas regit, non consilium.
Hyemes facilè in serenitatem transit.
Fortuitarum rerum, quarum in causa mores non sunt, eas ferre
Generose generosus animus debet.
Quàm facilè ruunt fortunæ splendidæ,
Vt mutationibus gaudens variȷs, Fortuna,
Tuum est proborum hoc, cum vir iste
Iustus in iniustas incidit calamitates.
Vt varia res est & versuta fortuna.
Nam, ò Parmeno,
Nullũ est bonũ quod sibi simile in vita permaneat
Vt qui ab vna radice nascuntur varij fructus arboris:
Sed iuxta bonum adnascitur etiam malum;
Et bonum ex malo quandoq; profert natura.
Quàm iniusta res est, cum natura quidem
Egregium quid contulerit, fortuna autem impedimento est.

IN CONTVMELIAM.

INfortunatus sis potius quàm maledicus.
Gladius vulnerat corpus, mentem verò oratio.
Nihil passus es mali, nisi tibi adsciueris.

In Sanitatem.

Non est quicquam in vita præstantius sanitate.
Sanitas & mens, bona vita duo.

In Superbiam, Fastum, & Arrogantiam.

Arrogantia nemo effugiet pœnas.
Cum maximè fortunatus es noli altum sapere.
Quàm stolidi sunt, qui supercilia tollunt,
Dicuntq́;, videbo? Homo enim cùm sis,
Videbis quando fortè infortunatus sis futurus.
Sua enim sponte res ad commodam partem
Vergunt, te dormiente; itemq́; in contrariam.
Omnis qui non sapit
Arrogantia & plausibus capitur.
Quo tibi maximè places, idipsum te pessundabit,
Opinio, qua tibi aliquis videris; perdidit enim infinitos alios
Humilitas tua si qua grauitas accesserit pulchra
Apud alios videbitur, clare vir; Sin tute feceris
Abiectum teipsum, & pro nihilo duxeris,
Hic peculiaris quidam risus censetur.
O' ter miseri
Omnes qui de sese magnificè sentiunt inflati,
Ignorant enim illi hominis conditionem.

In

Infortunatorum nobilis nullus amicus.
Fortunatorum omnes sunt cognati.
Cui corpus male affectum est,
Ei opus est medico; cui animus, amico:
Dolorem enim beneuolus sedare nouit amicus.
Amicitia iusta comparatio tutissima est.
Amicus me lædens ab inimico nihil differt.
Amicus cum amico laborans, sibi laborat.
Amici mores noueris, non autem oderis.
Amicũ constantẽ in aduersis rebus ne reformides.
Amicum in malis per iracundiam ne contemnas
Amicos habens, thesauros te habere censeto.
Amicorũ laudem potius quàm tuam ipsius dicito.
Quàm iucunda res est in fratribus concordia?
Aurum quidem probari potest per ignem,
Beneuolentia autẽ in amicos tempore dignoscitur.

De Assiduitate & Diligentia.

Diligentia & labore nihil non consequimur
Rerum.
Victum vndecunque comparato, præterquam ex malis.
Debent, qui nati sunt, dum vixerint, laborare.
Inertia enim tenuem non alit vitam.
Innumeris laboribus bona parantur.
Factis sis laborum amans, non verbis solum.
Gloriam sum adeptus non sine multis laboribus.
Laborent necesse est, qui bene fortunati esse volũt.
Nunc sum ignauus, quia præteritos labores frustra tuli.
De nulla re omnino,
Qui bene facit, desperare debet.
Omnia enim

Assiduitate

Assiduitate conficiuntur negotia.
Omnia quæ quæruntur,
Indigere solicitudinis aiunt sapientes.
In ijs, quæ nihil prosunt, ne frustra labores.
In gratiam vxoris, & amici laborandum est.
Laborum esto studiosus, & vitam deges honestã.
Quàm suauis sapientibus laborum recordatio.
Quàm multa mala conciliat hominibus ocium.

In Prudentiam.

Maximum semper bonum est prudentia.
Semper optimum est, quod est tutissimum.
Peccat etiam vir sapientior.
Viri conformatio ex sermone dignoscitur.
Si bene sapis, omnibus in rebus fortunatus eris.
In aliorum mala respiciens doctus euasi.
Mortalibus omnibus conscientia deus est.
Ex consilio bono proba facta nascuntur.
Omnia sapientiæ subijciuntur.
Tu verò imbecillum & muliebre corpus meum,
Non iure carpis. Etenim si sapiam,
Potius id est quàm brachium robustum
Optimum est omnem honestatem didicisse
Quidam malè sapiunt, licet fortunati sint.
Poenitentia est hominibus iudicium.
Quàm suauis res pater, cum prudentiam pro ira habet;
Suauissimũ est cum fortunatus mẽte præditus est,
Deus causam præbet hominibus, omnino
Cum familiam aliquam affligere vult.
Opportunè res considera. si mentem habes.
Sua ipsius prudentia nemo bene fortunatus est.
Ne hoc dispicias, an iunior dicam,

Sed

Egeat; statim enim à se quid petitũ iri expectat.
Inexplebilis cupiditas maximum est hominibus malum.
Dicis & quæ dicis, accipiendi causa dicis.
Noli semper lucrum spectare.
Ditescendo ne festines, ne citò pauper fias.
Qui manum in aurum iniĳcit, etsi sileat,
Mala consilia molitur
Nemo diues citò euasit, si iustus sit,
Hic enim sibi colligit; parcitq́:
Alter dudum asseruanti insidiatus, nihil habet.
Quàm turpis hominibus res est inexplebilitas.

Vide tit. in Lucrum & Plus habendi cupiditatem.

In Amorem sui.

Velis placere omnibus, non tibi soli.
De quo maximè gloriaris, id perdet te,
Te tibi aliquẽ videris; nã & multos alios perdidit.
Nimis teipsum amans, amicum non habebis.
Nemo in se mala cernit Pamphile,
Clarè, sed alium indecorè se gerentem videbit.
Non est vllus qui non sui amore teneatur (sunt,
Qui ea solum inspicit & expectat, quæ sibi cordi
Nã ille veritatis absq́ ratione iudex est.
Ne tibi ipsi decernas laudationem.
Amat alium nemo plus seipso
Vt nemo diligens ipse libenter negligitur.

Vide locum de Cognoscendo seipsum, & de Superbia.

De Amicitia.

Iniustum est, dedita opera amicos offendere.
Vir virum & ciuitas ciuitatem seruat.

A viro

A viro parum fortunato procul amici.
Omnes bene fortunatos profitemur amicos.
Omnibus amicis bene fortunatis gratulor.
Constans esto, constanterq́; amicis vtere.
Oportet vt amicis fides, non solum verba sint.
Non facile fidem dictis adhibere amici debent.
In communiter salutãtibus inest quadam gratia.
In aduersis amicus præstat pecunijs,
In malis rebus amicis benefacito
Votis exposce aliquid habere; & si habeas, habebis amicos
Amici sermo suauis est dolentibus.
Tuas censeto amicorum calamitates.
Perinde vt Deum tuos amicos colere velis.
Malum ferunt fructum mali amici.
Præclarum spectaculũ est bene fortunatus amicus
Præclarum, nihil in amicos peccare.
Dijudicat amicos tempus, vt aurum ignis.
Beatus, cui generosus contigit amicus.
Amicorum duorum iudex esse ne studeas.
Ne deseras socium in aduersis positum
Odio te prosequentem odi & amantem ama.
Veros amicos existimato fratres.
Iram sodalis & amici ferre conator.
Iræ causa, occulta ne aperias amici.
Non est possessio præstantior amico.
Da operam ne amicis malus sis amicus.
Multi mensæ non veritatis amici.
Longè præstat apertus amicus
Diuitijs occultis, quas tu defossas habes.
Malum virum nunquam tibi amicum facito.
Consiliarius probus, non malus sis amicis.
Cum amicis prospera velis vti fortuna.
Pecunia hominibus parant amicos.

Infortu-

Sed an viri prudentis verba proferam.
Odi sapientem, qui sibi non sapit.
Sapere enim præstantius est, quàm silentiũ habere
Prudens si fueris, versutiam fugito.
Qui mentis plurimum habet, rerum plurimarum præscius est.
Prudentia semper cũ adest, meliorũ rerũ causa est.
Prudentia præter ætatem parit odium
Tum tibi ne vnum quidem plus dederit quispiam
Partem accipe. præstat enim longè, minus
Accipere, quàm nihil accipere.
Nemo mentem tuam nouit, sed facta inspicit.
Non est quicquam, Pater, in hominis natura
Maius ratiocinatione. Rebus disponendis
Quisque nostrum est, & probè ratiocinando,
Princeps, imperator, tribunus plebis; rursum
Consiliarius qui præstat ratione, omnia habet.
Non vbiq; conueniens locus est prudentiæ;
Sed oportet etiam aliqua euenire.
Is est optimus vir, ò Gorgia,
Qui plurimas hominum iniurias perferre nouit.
Multis captionum generibus dij
Nobis imponunt, cum natura sint præstantiores.
.. Multa difficilia
Rebus in omnibus inuenias; sed an plura
Insint vtilia, id considerandum est.
Vtile fuerit vbiq;, vt ne quid agas temerè.
Iusti viri opinionem reijce,
In factis omnia iustè agentis lucrum facies;
Voluptate enim prudens non capitur.
Pinguis sensus nunquam consumitur.
Mens est hominibus magnum animæ frenum.
Pueri, quale amoris poculum est hominibus prudens pectus.

Vt

Vt nihil est eruditio nisi mente præsente.
Vt aspectus in oculo, mens est in animo.

In Naturam.

Quæ dedit omnia, reportat natura.
Patria generatim cuique est natura.
Omnia documenta natura superat.
Naturæ leges latere nemo potest,
Prauam naturam corrigere non facile est.

DE BONITATE.

SEd & ipse
Bonorum curam aliquam gerit Deus.
Vir bonus bonum nunquam odit.
Ex consilio bono facta proba nascuntur.
Si quis sacrificium offerens, Pamphile,
Taurorum aliquem numerum, aut hoedorum aut hercle
Aliud quid tale, aut opificia quæ fecerit,
Aureas clamydas, vel purpureas,
Aut ex ebore vel smaragdo animalcula,
Putat sibi Deum propitium hac re futurum;
Is errat, & vanam mentem habet.
Oportet enim vt vir frugi sit & vtilis,
Virgines non corrumpat, & adulteret,
Furetur, trucidet pecuniarum ergo,
Aut aliena aspiciat, & concupiscat,
Aut fœminam præstantem, aut domum,
Aut possessionē puerum ue, ancillam ue omnino,
Equos, boues prorsus, aut iumentorum aliquod.
.. Neque acum, charissime,
Desideres alienam. Deus enim

Iustis

Iustis factis delectatur, & non iniquis,
Laborantem autē suam permittit sibi rē augere;
Terram nocte dieq́ arantem.
Deo autem sacrifica p[...]petuo iustitiā exercendo,
Non tam vestibus quàm corde candidus.
Tonitru audito, non procul aufugias,
Nullius si tibi ipsi conscius sis rei, domino:
Deus enim è propinquo te respicit.
Bono viro bona quoq́ largitur Deus.
Aemulare probum virum & temperantem.
Et in rebus perplexis vir bonus vtilis est.
Commune bonum est, cum bonis fortuna fauet.
Maximum bonum est probitas cum prudentia.
Beata res est bonitas, per Mineruam,
Ad omnia, mirandumq́ ad vitam viaticum.
Huic ego pusillam diei partem collocutus
Beneuolentiam mihi conciliaui. Ipsa persuadet oratio.
Hic mihi quispiam sapientum maximè dicat:
Quid? alios loquentes odio non prosequor.
Mores dicentis, non sermones persuadent.
Nullus bonorum malum facinus committit.
Vir bonus multis in locis salutaris est.
Tu quidem, quæ tui sunt officij suades;
Me verò ad faciendum quod decet, non oratio tua,
Crede mihi planè, sed proprij mores persuadent.
Bonus malis non læditur sermonibus.
Bonas res agere est officium hominis ingenui.
A' bono viro aliquid sapientiæ addiscendum est.
De bono viro nihil mali cogitato.
Illis qui boni censentur, certum est viaticum
In omni tempore, & quauis inclinatione fortunæ.
Quàm iucunda res est bonitas prudentiæ coniuncta.

In

In Tempus.

Veritatem in lucem profert tempus.
Morum index hominibus est tempus.
Longum tempus multas calamitates habet.
Omnia retegens tempus in lucem profert.
Omnium necessariorum malorum medicus
Tempus est, ipsumq́; te nunc sanabit.
Consultor tempore nemo est præstantior.
Tẽpus & obscurat omnia, & in memoriã reuocat.
Tempus omnia consumit, & obliuionem inducit.
Tempus solum virum iustum monstrat.
Tempore omnia fiunt & dijudicantur.
Tempestiuitas omnia vitæ negocia benè dijudicat.

IN MENDACIVM.

Satius est eligere mendaciũ quàm verũ malũ.
Probabilis oratio vim, quàm veritas, habet
Aliquando maiorem, & persuadendo vulgo aptiorem.
Mentiens nullus multum temporis latet.
Mendacium odit omnis sapiens & frugi hom.
Mendacij calumnia vitam hominum lædit.

In Infamiam.

Mores iustos malus non attingit sermo.
Vincit semper calumnia quæq́; præstantissima.
Laudare eundem, & carpere, est viri mali.

In Animum.

Animo enim nihil est preciosius.
Animi curam gere tui ipsius, quantum potes.
Animum rebus bonis adsuefacito.

Finis Sententiarum Menandri.

Sunt

Sunt & hæc
MENANDRICA,
Tametſi non admodum ſententioſa.

IN aurem vtranq́;, quia dotata eſt, dormiet.
Magnifico quodã, & egregio negocio confecto,
Domo eiecit moeſtam, quam expetebat.
Vt omnes intuerentur Creobulæ faciem.
Tum omnibus nota tenebat me vxor hera,
Et aſpectu fruebatur, cũ eſſem vt aſinus inter ſi-
Quod dicitur ſanè iſtud ita eſt tacere volo(mias,
Noctem plurimorum malorum authorem.
Me miſerum qui Creobulã duxi, & talenta decẽ,
Mulierculam vix cubitalem, cuius ſuperbia
Adeò intolerabilis eſt. Iouem Olympium
Et Mineruam teſtor, nequaquã ancillã famulãq́;
Vel dicto citius quis abigat, illamq́; repetat.
Lamiam ex aſſe hæredem duxi, ſed dixeram tibi
Id nondum, dominam domus, & agrorum
Omniumq́; rerum. Pro illa habemus ex vniuerſis malis
Difficilimũ quòd omnib. moleſta eſt, nõ mihi ſoli
Sed filio filiaq́; multo magis, prouinciam
Inexpugnabilem narras, ſat ſcio.
Monimus vir quidam fuit Philoſophus
Obſcurus, ſed modico tempore peram habens,

Peras ergo tres. Sed & imaginis verbo
Dixit nihil esse ei simile, per Iouem, quod
Dicitur; noscε teipsum, neq; etiam ex laude di gnis
Rebus: prater hac autem mendicus & sordidus ipse eras.

Quod enim reliquum erat, id omne fastum nuncupabat.

Omnes sanè Thraces, maximè verò Geta
Pra cunctis, quorum equidem glorior
Me indigenam esse, non valde continentes
Sumus. -

Nostrum enim nemo ducit vel decem
Vel vndecim vxores, duodecimuè, vt pleriq; alij.
Quòd si quaternas aut quinas duxisse contigerit,
Subuersio quadam est: Qui verò nuptiarum expers, infelix.

- Dij autem nos consumunt,
Pracipuè qui vxores duximus. Sẽper enim aliquis
Dies festus agendus est. Porrò autem qui
Mulierum perosus est, hac ipsa subincusat.
Indies verò quinquies immolabamus,
Septemq; circũcirca ancilla cymbalis insonabant,
Alia vlulatus edebant. -

Gallus quispiam gallinaceus magnum vociferatus est; non
Abigetis foras à nobis aues?
Alia vasa argentea
Accepturus aduenio:
Ipsa tandem aues vix abegit.
Agedum, ad satietatem iamdudum bibisti,
Sosila. omnibus nunc bibe. male enim manet.
A Charephonte nihil sanè differt
Homo, quisquis est, qui vocatus aliquando

Ad

Ad duodecempeda epulationem, erectus
Cum luna cursu contendebat, vmbram intuitus,
Quasi intempestiuè veniret, & cum die adfuit.
Equidem tam mihi videor, per deos,
In cyclos me ipsum ingressum
Videre in orbem currentem ac versantem.
Illuc me biforis literula trahit,
Ac vt vna drachmam exhibeam causa.
.. Me enim
Distinuit lepidissimus virorum Charephon,
Qui sacras nuptias se confecturum ait decimo
Calendas apud se, vt pridie nonas coenet apud alios. quod enim ad deam attinet, omnino bene habet.
Me, Nicomache, in locum imperatoris constituite,
Nisi verberibus totum peponem fecero;
Nisi spongia molliorem fecero
Faciem.
Igitur mihi talem cane dea meretricem,
Audacem, pulchram tamen & elegantem simul,
Iniuria afficientem, excludentem foras, crebra petentem,
Nullius amantem, sed semper assimulantem.
In prandium acceptos
A piscatoribus modò quis quatuor
Drachmis æstimabat gobios nimis.
Salsamento salem inspersisset, si ita res tulisset.
In plaustris insident conuiciorum pompa quadam
Valdè contumeliosa.
Aquiloni proprium cum desiderarem
Obsoniolum, nullum accepi, lentem cocturus,
Impleuitq; conciliabulum.
.. Locupletis
Autem mediocriter è Cylicibus aurum, Persica
Vestes

Vestes illæ purpureæ, toreumata
Intus sunt viri, pocilla, toreumata,
Et cælatæ personæ, tragelaphi,
Labronia. --
Iamiam enim illic est, vt simul pariat.
Iam libatio lapidei labronij.
Persæq; cum suis muscarijs adstiterunt.
Redit linquens Aegeum salsum profundum
Theophilus nobis, ò Strato, vt ad honestum
Filium fortunatum & incolumem.
Primusq; tibi aureum en cantharum,
Quale nauigium.
Atque hoc tempore his de rebus solitarij coeunt.
Et illico vicissim primùm ducitur in orbem
Poculum ipsis meri.
Attamen aliquando iuuenis ego quoq; fui, mulier
At non quinquies quotidie lauabar
Tum sed nunc; neq; torquem gerebam, sed nunc;
Neque vnguentum habebã, sed nunc; ac tingar,
Et depilabor per Iouem, eroq;
Ctesippus, non homo, non longo post tempore.
Sicut ille, deuorabo quoq; lapides
Semel vniuersos, non certè terram solam.
Atqui longè suauius est, non enim vnquam
Aquæ tres cyathos, sed vini vnicum bibi.
Lauacrum, famulas, argentaria vasa.
Smaragdum ea & Sardia essent oportebat.
Mediocriter ebrius vitro tricotulo.
-- Post prandium enim vt amygdalas ego
Apposui, rhadia quoque comedimus.
Paulum institisti. accurrit. Emi tibi
Columbulos
Sola mors ea videtur mihi mors expedita,
Cum quis omento pingui crassus iacet,

Vix

Vix loquens & ex alto suspirans,
Vescitur, & ait: Præ voluptate putresco.
Conuiuium quem accipit hospitem?
Cuiatem? id enim coqui refert.
Velut insulares hi minutuli hospites,
Inter recentes pisciculos educati,
His varijs salsamentis non valde
Capiuntur, itaq; obiter attingunt.
Has autem inspersiones & condituras
Magis amplexantur; si verò quis accedat Arcadicus,
Contrà, cum mari careat, offa capitur.
Ionicus diues sedimenta faciens,
Candaulum amat, cibos propè coiturientes.
-- Hi verò inter
Manus cum acceperunt, expectant, amicissimi.
Laterna hæc plena est aqua,
Non concutienda ea est, sed pede vincienda.
-- Domesticis cibis contentum sponsum,
Nullam desiderantem dotem reperimus.
Piger est ad omnia, cũctator, cibis indignus miser,
Inutilis humi miserè victitans, vt ipse fatetur.
Octo quis suffundere vociferabatur, & duodecim
Cyathos, quousq; signo se appetere ostendit.
- Aues ferens veni.
Quisquis nactus herum simplicem,
Et lenem decipit famulus, non video
Quàm is magnam rem confecerit,
Stolidum stolidiorem faciens.
-- Nullum vetula prorsus
Poculum prætermittit, sed in orbem bibit.
Non discipulos accipis suis cibis viuentes,
Sed alienos desiderantes. -
Dudum iam ad fores stetisti

Onere deposito, miserum, nullis cibis alendum
Domo recepimus.
Pinguis enim sus erat in ore posita, & iterum
Deliciatus est vsq; adeò, vt diu non sit deliciatus.
- Fecistis opus
Socijs indignum, hæ verò cum sint literæ,
Nomen non valde declarant.
- Multi enim relicto
Vallo, villas depopulabantur.
Qui fit vt vulnus habeas
Medio in cubito? Qui fiat? per deos, scalis
Cum in murum ascenderem quod ego cum ostẽdo
Studiosius, isti vicissim rident.
Iugulat me; epulando macresco,
Cauilla sagacia & militaria qualia,
Quàm gloriosus est exitialis.
Puellus ingressus est elixos eos ferens.
Ameten Charispi in taxillo quodam vrito.
- Hæc nunc est consuetudo.
Merum inclamabam, magnum frigidarium quis
Propinauit: eos miseros perdidi,
Superuenit mea torpor quidam pelli.
Parcus erat & moderatus mercator.
Commentatur quomodo nuptias conficiat.
- Si quidem verum aliquod malum
Haberes, verum tibi medicamentum hos oportet adhibere.
Nunc autem non habes, inueni mane medicamentum,
Ad inane: existima autem id te aliquid iuuare.
Abstergant te circumcirca mulieres,
Et ex tribus fontibus adportent
Aquam vt te aspergant, iniectis sale & lentibus,
Quilibet est mundus, qui nihil sibi conscius

Est

Est mali.

Nũc autem recede ab his ædibus. Foeminam enim
Pudicam non decet capillos flauos facere.

Regaliter pollicens iuxta illud quod vulgò dicitur, Terra bona.

Consuetam enim mihi imbecillitatem nostis
quam qui me minus amant, delicias
vocant & Salaconias.

Finis omnium, quæ de Menandri scriptis superesse reperta sunt.

PHILEMONIS COMICI VITA.

PHILEMON Damonis filius Siracusanus, vt Suidas vult: si verò Straboni fidem habemus, Pompeiopoli Ciliciæ vrbe natus est. Poeta fuit nouæ Comœdiæ: vel, vt Apuleius sentit, mediæ: paulo antiquior Menandro Comico. Floruit enim tempore Alexandri Magni Scripsitq́; fabulas 90. vt Suidas testatur. Hic quatuor sibi precari hæc solitus fuisse memoratur:

ὑγίειαν πρῶτον, εἶτ' εὐπραξίαν,
τρίτον δὲ χαίρειν, εἶτ' ὀφείλειν μηδενί.

Porrò de auaritia huius poetæ sic scribit Ioannes Pierius lib. 35. ἱερογλυφικῶν, Auaritiam & ille gestus in manu significat, cùm exporrecta capedunculam assimilat. quo gestu Philemonis Romæ signum vidi, cum in altera volumen complicatum haberet, idq́; tenaciter restrictum, vt qui precium sibi deposceret: non nisi eo numerato, librum exhibiturus. Ferunt enim, eum Comœdiarum scriptorem, ære graui solitum lucubrationes suas venundare. Inscriptio sanè erat ΦΙΛΗΜΩΝ. Hæc ille. Vixit annos centum & vnum: vel, vt quidam volunt, nonaginta & septem, vel nouem: quia corporis habitu & sensibus optimè vsus fuisse proditur.

proditur. De obitu ipsius quia variant authores, quorundam sententias potissimum adscribere placuit, Apuleius Floridorum lib. 3, sic ait: Philemon poeta, dum fortè recitaret partem fabulæ, quam recenter fecerat, ei iam actu tertio iucundos affectus mouenti, coortus imber interrupit. Quumque postera die populus ad reliqua audienda conueniret, diutius expectantibus nūcius aduenit, mortuum eum esse, calereq; adhuc in cubiculo. Aelianus (referente Gyraldo) in libro de Prouidentia, aliam de Philemonis morte historiam affert. Cum Athenienses, inquit, & Antigonus rex bellum inter se gererent, Philemonq; in tecto cubans quiesceret, in somnijs vidisse dicitur nouem puellas è sua ipsius domo exeuntes: quas cum interrogasset, cur sic abirent: & illæ respondissent, se extra ianuam velle exire, nec homini licere Deos audire: tū ille somno experrectus, puero narrauit, quæ in somnis vidisset, & quæ audisset: fabulamq;, quam tum in manibus habebat, absoluit. rursusque cum lectum conscendisset, resupinusq; in dormientis modum recubaret, expirauit, quem assistentes tam diu dormire existimarunt, donec illum cum detexissent, mortuum repererunt. Qua re, inquit, cognitum est, eum dum viueret, a Musis amatum. Valerius Maximus lib. 9. sic scribit: Philemonem autem vis risus immoderati abstulit. Paratas ei ficos, atque in conspectu positas, asello consumente, puerum vt illum abigeret inclamauit. Qui cum iā comestis omnibus superuenisset. Quoniam, inquit, tam tardus fuisti, da nunc merum asello. Ac protinus vrbanitatem dicti crebro an-

helitu cachinnorum profecutus, fenile guttur falubris fpiritus præ grauauit. Idem fentiunt Suidas, & Lucianus περὶ τὸν μακροβίων. Secus fcribit Plutarchus in commentario, εἰ πρεσβυτέρῳ πολιτευτέον, an feni fit accedendum ad Rempublic. adminiftrandam. Philemon iunior, & ipfe Comicus, eius filius, docuit fabulas 54. Alterius Philemonis Ptolemæi præfecti mentionem facit Plin. Nat. hiftoriæ lib. 37. cap. 8. De Philemone alio hiftrione, confulendus eft Ariftoteles in Rhetoricis.

TESTI-

Testimonia Doctorum virorum

DE PHILEMONE COMICO.

Apuleius Floridorum lib 3.

Philemon fabulas cum Menandro in Scena dictauit, certauitq; cum eo fortassis impar, certè æmulus. Nanque eum &, vicit sæpenumero, pudet dicere. Reperias tamen apud ipsum multos sales, argumenta lepidè inflexa, agnatos lucidè explicatos, personas rebus competentes, sententias vitæ congruentes, loca non infra soccum, seria non vsque ad cothunnum: raræ apud illum corruptelæ, & vti errores concessi amores. Nec eo minus & leno periurus, & amator feruidus, & seruulus callidus, & amica illudens, & vxor inhibens, & mater indulgens, & patruus obiurgator, & sodalis opitulator, & miles præliator. Sed & parasiti edaces, & parentes tenaces, & meretrices procaces.

Quintilianus lib. 10. encomio Menandri hæc subiungit.

Habent tamen & alij quoque Comici, si cũ venia legãtur, quædam, quæ possis decerpere, & præcipuè Philemon: qui vt prauis sui temporis iudicijs Menandro sæpẽ prælatus est, ita consensu tamen omnium meruit esse secundus.

EX COMOEDIIS PHILEMONIS COMICI.

Nouæ Comediæ, Sententię, quæ supersunt.

In Garrulitatem.

INani lingua damnũ impingitur.
Eum qui nihil oportunè dicit,
Longum existima, vel si duas tan tum syllabas pronunciauerit.
At bene dicentem ne longum existimes,
Etsi permulta dixerit, & longo tempore.
Huius indicium Homerum accipe.
Is enim nobis myriades scribit versuum,
Nullus tamen Homerum appellauit longum.

In Intemperantiam.

Tu mihi dic quid sit dicendi libertas.
Tu ne loqueris inter homines, tanquam homo,
Et in vniuersum ita ambulas? an eundem cũ aliis
Aerē hauris? dic mihi qui adeò luxu corruptus es.

In Incontinentiam, & ebrietatem.

At vinum in causa est. Nemo verò ebrius est, si perpendas,

Qui

Qui non seruus sit potus.
Quicquid me vt facerē cogebat, id ego faciebam.
Malum est hoc vinum, Nicophon.
Omne malum est vinum semper, quòd multũ est.
Ebrius eram; satis est prætextus ad peccandum.
Quid illum viuere iuuat, qui vitam suam nescit?

De Pacientia.

Si lachrymæ nobis malorum medicamentũ essent,
Semperq; qui plorasset dolere cessaret,
Auro dato lachrymas redimeremus;
Nunc verò non auscultant res, neq; respiciunt.
Et siue lugeas, siue non, pergunt.
Quid igitur proficis? Nihil: Verùm dolor habet
Veluti fructum arbor ista, lachrymas.
Vehementer equidem doleo
De rebus præsentibus. At in ipso dolore sapio.
Id est quod me conseruat, & hominem facit.
Si nouisses aliorum, quibus intricantur, mala,
Libens haberes Nicophon, quæ nunc habes.
Si omnes morerentur quibus non obtingunt
Ea quæ cupiunt, omnibus sanè moriendum esset.
Suauius nihil, nec Musis aptius
Est, quàm ferre posse conuiciantem.
Qui enim conuicijs petit, si petitus
Dissimulauerit, conuicia in cõuiciantē redundãt.
Multi, here, maiora mala faciunt
Per se ipsi, quàm natura sint sua.
Vt mortuus est filius aut mater cuipiam,
Aut herclè ex alijs necessarijs quidam,
Siquidē hoc assumat, mortuus est, quia homo erat;
Tantum sit malum, quantum erat. (plius;
Sin dicat: vita mihi nõ vitalis est, nõ intuebor am-

Periit, hæc secum qui reputat.
Præter mala præsentia insuper alia colligit.
Qui verò omnia ratione secum considerat,
Malum quod est aufert, & bonum assumit.
Multa sunt multis in ædibus mala,
Quæ bene si tuleris, fient bona.
In hoc enim vir viro præstat
Quod & malum & bonum commodè ferat.
Obscurus quispiam homo est, beatus eris nihilominus.
Obijt mortem aliquis, ne molestum id tibi sit
Peperit quædam, non peperit, nihil graue sit.
Infortunatus est quispiam, tussit quis, plorat quis,
Natura hæc omnia fert; fuge moereres.
Homo es; vtiq; non est, ne vnus quidem,
Cui non aliquid mali euenerit, aut euenturũ sit.
Qui autem minimum facit quod euenit,
Pariter is est fortunatus, & sapit.
Iam ignauus euasisti, non enim animi fortitudo
Est quod nunc facis, sed pusillanimitas,
Dolorẽ sustinere non posse, ne tristitia moderari.

In Ocium.

Ope destitutam vitam tuam imprudens reddes.
Nisi enim naufragus gradiẽdo terrã apprehendat,
Nunquam se saluum & incolumen videat, neque qui pauper est,
Nisi didicerit artem, tutò vitã suam tueri possit.
Verùm nobis sunt pecuniæ, at quæ citissimè perduntur.
Possessiones, domus, at fortunæ mutationes non ignoras;
Siquidem ex diuite pauperem in crastinum facit.

Ac

Ac nostrum si quis ad fortunæ portum appulerit,
Acceptam anchoram securitatis causa iecerit;
Sin agitatus insanum ventum concipiat,
Ad senectutem inopia non habet leuamen.
At sodales & amici & familiares per Iouem tibi sunt;
Gratiam conferent. Precare quæso, ne periculum facias amicorum;
Alioqui, te nihil aliud quàm vmbram esse intelliges.

Quòd infortunatis opus sit condolentibus, lege Sermonem de Amicitia.

In Imprudentiam.

Si quis mente sibi non constat,
Hic rectè quicquam neque audit, neque videt.

DE VITA, QVOD BREVIS SIT, & vilis, ac plena curis.

Talis est ò mulier humana vita;
Paucioribus gaudijs fruimur, quàm dolore & molestia
Nunquam, ò domine, vllo pacto fieri poterit,
Vt qui homo natus es, non sis homo, frustra igitur clamas;
Viuentem multis affici malis necessarium est.
Non mare nauigantibus accidit
Solis tempestas, vt videtur: sed etiam
In porticu deambulantibus ò Laches,
Et illis qui intra domos se continent.
Et nauigantes quidem, interdum diem vnum
Aut noctem tempestata iactati, mox malo liberati

Salutem consequuntur, vel vento
Ipsos seruante, vel apparente alicubi portu.
Mihi verò id non contingit; non enim per diem
Vnum tempestatibus agor, sed per omnem vitam;
Et magis magisq; semper molestia crescunt.
O beatissimas omnes & felicissimas
Belluas, quibus harum rerũ nulla ratio habetur,
Nec quicquam earum in reprehensionem cadit,
Nec huiusmodi aliud quicquam eis est malum
Aliunde ascitum; sed quam quaque naturam attulerit,
Eam statim habet quoq; vice legis.
Nos autẽ indignam vita vitam viuimus homines
Inuentis legibus opinionibus seruimus.
Maioribus ac posteris euitari nequit
Malum; sed occasionem semper aliquam reperimus.

QVOD VXOREM DVCERE non bonum sit.

PErpetuum malum est, & necessariũ, mulier.
Solus si quis sit, eum mala quoque fortuna nutrit.
Vxorem ducere qui statuit, is poenitentiã incurrit.

Nuptialia præcepta.

Proba matrona est, Nicostrata,
Viro superiorem non esse, sed obedientem.
Ac mulier exuperans maritum, malum magnum est.

De Agricultura, quòd bona sit.

Iustissima hominibus possessio est ager;
Ea enim quibus eget natura, profert abundè,
Triticum, oleum, vinum, caricas, mel.
Argentea autem vasa, atq; purpura,
At tragoedias vsum habent idoneum, nō ad vitā.

Amplius de Agriculrura in contrarium.

Agricola semper in proximum annum diues est.
Agrum vice medici habens, accesseram;
Is enim me quasi ægrotantem alit,
Cibaria proferens exigua, viniq; quantum
Olerib odorē dare possit; &, ita me Iupiter amet,
Saxatilia ista opsonariola, capparin,
Thymum, asparagum; ac ista ipsa vereor ne nimis attenuatum me mortuum reddant.

In Senectutem.

Syra syra, quid est? quomodo te nobis habes?
Cùm senem quempiam, aut anum videris,
Illico scias quòd malè se habeat.

De Cognoscendo seipsum.

Homo cùm sis, id fac semper intelligas, & memineris,
Cognosce teipsum: non temerè, crede mihi,
Hoc dictum celebre est apud Delphos.

De

De Literis.

Oratio sanè est vtilis ægrotantibus:
Veluti splenium vlceri aptè impositum
Inflammationem sedat, sic & oratio
Is non modò reperit quomodo colloquamur
Inter nos, absentes alij ab alijs longo tempore:
Neq; quo pacto nunquam quis in posterum
Obliuiscatur nostrum quicquam: sed aliquid intuens
Ex omni tempore gesta cognoscat; verum etiam
Animi medicum, literas reliquit.

IN TIMIDITATEM.

Bona quidem facies; at intus latet trepida mens.

In Superstitiosos.

Cumqvidero obseruantem, quis sternutauerit,
Aut quis locutus sit, aut quis sit qui procedit
Respicientem pullo, statim in foro
Secum ingreditur, & loquitur, & sternutat
Vnusquisque nostrum, dicens quòd ciuibus non eueniant
Res sic, vt ferret earum natura.

De Dominis & Seruis.

Mens enim est dominus vnus vir;
Horu m autem, tua, innumerorumq; aliorum lex domina est,

Aliorum

Aliorum tyrannus; tyrannorum; metus.
Sunt regum serui, rex dei,
Deus necessitatis, atq; omnia prorsus si perpendas
Aliorum ex nutu pendent, ex maiorum minores:
Illis hac semper seruiant necesse est.
Malum est seruo herus malè agens.
Necessarium enim est ut participet malis.
Etsi quis seruus sit, nihilominus, ò here,
Homo est, si saltem homo fuerit.
Sapiens tu quidem es, Priame. veruntamen tibi dico,
Seruo sapiente magis, quàm sapere conuenit,
Nihil est molestius neque in ædibus
Deterior aut inutilior possessio.

De Iustitia.

Vir iustus est, non qui non facit iniuriam,
Sed quisquis facere potest, & non vult:
Neque qui ab accipiendis paruis abstinuit,
Sed qui forti animo magna non accipit
Cum habere possit, & obtinere impunè;
Nec quisquis hæc omnia venatur,
Sed quicunque sincero & candido ingenio,
Esse iustus, quàm videri mauult.
Iniuriam nulli facere ò Laches didicisse
In vita, studium esse iudicato ciuile.
Iustitia tum apud mortales, tum apud deos
Immortalis perpetuò gloria solius perdurat.

NON ESSE GAVDENDVM ob alienas calamitates.

SI quis tristantem aliquem, secutus ei dixeris,
Salue: necessariò lugere ipsum iubet.

De

De Pace.

Philosophi quærunt, vt audiui,
In hocq; temporis multum consumunt,
Quidnàm sit bonum, necdum vllus inuenit
Quid sit: virtutem & prudentiam aiunt &
Magis hæc intricant proculdubio quia bonum sit,
In agro me exercens, terramq; fodiens ego
Nunc inueni. pacis quæ sunt, Iupiter charissime,
Quæ venustissima et amabilis & humana dea est.
Nuptias, festiuitates, cognatos, liberos, amicos,
Diuitias, sanitatem, annonam, vinum
Ipsa confert, hæc omnia si deficiant,
Mortua est in commune omnis viuentium vita.

In Euripidem.

Si verè qui vita functi sunt
Homines sensu non carerent, vt quidam aiunt,
Mibi ipsi manus inferrem, vt Euripidem viderē.

IN ZENONEM PHIlosophum.

PHilosophiam enim vanam iste commentator
Esurire docet, & discipulos accipit.
Vnus sit esca panis, caricaq; & potus aqua.

DE DEO

QValē verò Deū, dic mihi existimare licet?
Qui omnia videt, cum ipse non videatur.
Putas nè tu morituros, Nicostrate,

Omnibus

Omnibuc delicÿs in vita potitos,
Terra ita tectum iri, vt deinceps in omne tempus
Effugerint numen, tanquam latuerint?
Est æquitatis oculus, qui omnia videt.
Si enim iustus, & impius eadem conditione futuri sunt,
I rape, furare, defrauda, perturba (alios)
Errare noli; est & apud inferos iudicium,
Quod faciet Deus, omnium rerum Dominus,
Cuius nomen formidabile, nec nominare ausim.

DE MEDICIS ET Medicina.

HOmo cum sis, facilè admonere
Possis; at vt id ipse facias, non item facile.
Argumento sint medici, quos ego noui
De continentia apud ægrotos perquàm belle
Omnes verba facere; deinde si ceciderint in morbum aliquem,
Ipsos omnia facere, quæ pridem non sinebant
Alios; ac tum pariter dolere licet & speculari.
Neque enim medicus vllus, si bene perpendas,
Suos velit bene valere amicos;
Neque miles ciuitatem sine malo cernere,
Quid est hic? Medicus. Quàm malè est
Cuique medico, si nemini malè sit.
Soli medico id, & causidico
Licet, occidere quidem, non autem emori.

IN MALITIAM.

CVr Prometheus, quem dicunt nos formasse,
Reliquaq; omnia animalia, brutis quidem

Dedit

Dedit singulis, pro suo genere, vnam naturam;
Omnes leones sunt robusti,
Timidi contrà omnes ex ordine lepores.
Non est vulpes alia quidem vafra dissimulatrix sua natura,
Alia sui peculiaris ingenij; verũ si triginta millia
Vulpium quis congreget, vnam naturam
Omnibus cernet inesse, modumq; vitæ & tenorem parem.
Nostrum autem quot corpora numero,
Totidem est & vitæ rationes cernere.

In Pulchritudinem.

Non est aut pictor, ita me dij ament,
Aut statuarius, qui fingere possit
Pulchritudinem talem, qualem veritas habet.
Nec statua affabrefacta vsus est,
Nisi percepturum quempiam ars nacta sit.

IN TRISTITIAM.

Tristitia enim per se reddere potest
Duplo sanè maiora, quàm reuera sunt mala.
Hei mihi, nam ipsa tristitia hanc vocem
Statim, vt videtur, tristanti extorquet.
Quod si quis tristanti obuius, illum iusserit
Saluere, reipsa & necessariò flere ipsum iubet.
Adeò cum aliquis timor in animum illapsus est,
Etiam dormiendo non egreditur.
Morbum ferre multo satius est, quàm tristitiam.
Multorum malorum causa omnibus est suapte natura
Tristitia: propter hanc etiam insania oboritur

Multis

Multis, & ægritudines incurabiles.
Interficiunt etiam aliqui seipsos præ tristitia,
Cum quod infert moerorem maius est, quàm unde salus speratur.

IN MAGAM.

EN rege ab ipso literæ tibi adsunt Maga.
At his receptis non vides miser Maga,
A vi procellæ te in Paretonium mare eiectum?

IN MORBVM.

MVlto maius est ipsa ægrotatione malum,
Quòd singulis vicissim inuisentibus,
Qui malè habet, quomodo habeat, dicat oportet.

IN IRAM.

INsanimus omnes cum irascimur.
Nam iracundiam cohibere laboriosum est.
Omnia quæ iratus agit,
Errata postmodum intelliges.
Ira moderator. Respon. Id quidem volo.
Ex iracundia enim nemo gratiam collegit, pater.

IN LIBERTATEM DICENDI

DIserto procliue est ad linguam confugere.
Papæ, quàm quæ ipsis rebus insita bonitas est, semper.
Bene dicendi occasionem mortalibus gignit.
Luctus: Vide locos de Patientia & Tristitia.

In

In Paupertatem.

Quisquis in paupertate viuit, angustè viuere vult
..ǝpia enim prompta est in perpetrandis malis.

Laus Diuitiarum.

Putasnè Amalthea cornu huiusmodi esse,
Quale pictores cornu bouinum depingunt?
Argentum est; quod si habueris, petas
Ab ipso quidquid voles, omnia tibi addentur,
Amici, auxiliatores, testes, demum multitudo.

Comparatio Paupertatis & Diuitiarum.

Diuitiæ semper multas calamitates habent,
Inuidiam, contumeliam, & odium multum,
Multaq; negocia, & molestias innumeras,
Actiones multas, victusq; comparationes.
Deinde postea illico mortuus inuenitur,
Facultatibus ad deliciandum alijs relictis.
Vnde Paupertas mihi magis placet,
Mediocresq; facultates, & non sollicita vita,
Et diuitiarum vacatio, ac negociorum.
Quisquis enim pauper est, magna lucratur mala.
Per Iouem maximum, arbitrabar Sosia,
Equidem prius viuere pauperes duntaxat
In moerore, diuitum autem vitam
Hilarem esse, & lætitiam ferre;
Nunc verò virorum differre quotidianis
Sumptibus vitam solum video,
Ac maioribus doloribus premi maiores.

IN MILITEM.

O Miles, non homo, qui pasceris
Quemadmodum victima, vt cum tempus
fuerit, immoleris.

DE LIBERIS.

ANte omnia parentes honorare velis.
Peperisti me mater; at tibi sint liberi
Emolumento, quemadmodum meruisti.

In Fortunam.

Non est nobis vlla fortuna deus,
Non est inquam; sed sua sponte quod fit,
Fo tuitoq; cuique contigit, appellatur fortuna.
Sæpe is, cui ne necessaria quidem nunc suppetebant,
Postridie ditatus est adeò, vt alios etiam nutriret.
Et alius qui thesaurum hodie inuenerat, cras
Quidquid in domo erat, amisit.

In Solonem Atheniensium legislatorem.

Tua verò, Solon, in omnes homines inuenta valent.
Nam aiunt te primùm hanc ipsam sciuisse
Rem popularem, Iuppiter, & salutarem:
Ac mihi, dicere hoc etiam licet, congruam, Solon,
Cum plenam cernam ciuitatem iunioribus,

Hosq; habentes necessariam naturam,
Peccantesq; in quod non erat decens.
Vt qui venderet foeminas, per locos sisteret
Communes omnibus & paratas.
Stant nudæ ne quis decipiatur: omnia cerne.
Non bene tu teipsum assequeris? habens habes.
Quo pacto? fores erunt apertæ.
Vnus est iactus; insilito, non est ne vnus quidem
Tergiuersandi locus, neque nugandi, nec coegerit,
Sed statim vt vis, longam velis consuetudinem.
Exijsti, malum luctũ precare, aliena quid ad te?

IN PARCITATEM.

SI præsentibus non vtimur,
Absentia quærimus; His quidem nostra culpa,
Illis verò per fortunam priuabimur.

In Inuidiam.

Inuidia in sese hoc solum probè facit,
Quod qui mores ipsius diligit,
Illum in primis lædat, semper conuersans sibi.
Multa me doces abundè propter inuidiam,
Vt audiens quàm plurima, ne vnum quidem addiscam.

In Amicitiam.

Quid nam est quamobrem me videre cupit? (ignota est?)
An quemadmodum ægrotantes, vehementi dolore agitati.
Medicum si viderint, non amplius dolent;
Ita cùm quis in moerorem inciderit,

Minus

Minus angitur, amicum si præsentem viderit.

In Assiduitatem.

Ex laborandi studio quæ velis assequaris.
Omnia possunt inueniri, si modò non laborem
Fugerit aliquis, qui rebus indagandis adhæret.
Quantum delector ob exhausta mihi præterita mala.
Nisi enim tum laborassem, in præsentia non gauderem.

EIVSDEM PHILEMONIS, sed non sententiosa.

Adesse oportebat, Parmeno, tibicinam aliquam, aut
Nablam quandam. quid verò nablas sit,
Nescis tu attonite? Ita me deus amet, nescio quid ais.
Nescis nablam? hactenus bonum non nosti
Tu quidem neque sambycistrian.
Piscis quispiam elixus tibi videbatur; exiguus erat, audiuisti
Muria erat alba, & spissa supra modum,
Nec ollam resipiebat, neque condimenta.
Clamabant omnes, quàm bonam muriam facis.
Edebant vero & cicadas, & cercopas aperiendi causa.
Quantum desiderium subijt mihi terræq; coeleq;
Memorare, aduenienti vt opsonium apparaui.
Amet ita me Minerua, suaue est felicem esse
In omnibus, quàm mollis & delicatus mihi piscis factus est?

Qualem

Qualem apponebat: non infectum
Casei particulis, nec superiori parte defloratum;
Sed qualis erat viuus, talis quoq; assatus erat.
Ita mollem dedi & lentum ignem:
Assatum piscem ne credidero quidem.
Perinde erat ac cum auis corripuisset
Ad deuorandū, maiori quodā ambitu circūcurrit,
Obseruans vt deuoret; circum autem festinauit
Altera persequens istam. idem erat.
Voluptatem primus eorum cum intellexisset,
In patinam insilijt, & aufugit in orbem
Patinam tenens; alij verò pedib persequebantur.
Lugere succurrebat; illi rapuerant: quid enim?
Hi nihil, illi omnia assumpserunt,
Pisces è penuario promptos edentes, coenum.
Quòd si accepissem dudum scarum, aut ex Attica
Glauciscum, Iupiter seruator, aut ex Argo caprū,
Aut ex chara Sicyone, quem dijs
Offert Neptunus congruum in coelo,
Omnes qui edissent, facti dij essent.
Immortalitatem inueni, iam enim mortuos,
Cum olfecerint, facio vt reuiuiscant.
Vt Seleucus huc misit tigrin,
Quàm vidimus nos; oportebat quoq; vt Seleuco
Nos a nobis mitteremus bestiam (vicissim
Trigeranam, non enim illic ea nascitur.
Mus albus, illam si quis · at pudet
Fari. Clamauit adeò mox turpissima
Lana, vt latere nusquam licuerit.
Pellucidas vestes, quendamq; compedem
Aureum. --

Finis omnium que de Philemonis scriptis
inueniri potuerunt.

DIPHILI COMICI VITA.

DIPHILVS (quem Clemens Alexandrinus στροματέωνι. & Eusebius Pamphili κωμικώτατον καὶ γνωμικώτατον, hoc est, maximè Comicum, & sententijs refertissimum vocant) Sinopensis fuit patria, vt testatur Strabo Geographiæ lib. 12 Professione Comicus nouæ Comœdiæ. Floruit enim eadem ferè cum Menandro ætate, qui princeps nouæ Comœdiæ habitus fuit. Fabulas omnino scripsisse proditur centum; inter quas Terentius, & Donatus Grammaticus, eam quoque commemorant, cuius nomẽ est συναποθνήσκοντες. Eum quoq; Plautus in quibusdam imitatus est, & eius mentionem facit in Prologo Casinæ. Obijt diem suum Smyrnæ quæ vrbs est Ioniæ, vt Strabo lib. 14. affirmat, Aristophanis interpres in Nebulis, a Diphilo integrum poema in Bœdam Philosophum cõcinnatum fuisse scribit. Nisi fortè ad Diphilum tragœdum respexisse ibi videatur interpres. Qui tantæ mordacitatis fuit, vt etiam in Pompeium Magnum inuectus fuerit nimis petulanter; vt testantur Cicero ad Atticum, & Valerius Maximus lib. 6. cap. 2. Titulo, Quæ liberè dicta aut facta sunt. Alius fuit Diphilus architectus forsan, in perducendis ad finem operibus susceptis tardissimus, vnde prouerbio locum dedit: Diphilus Diphilo tardior. Quod in segnes, & extra modum pigros in obeundis, quæ semel fuerint iniuncta, dici solere, ex Ciceronis ad Q. Fratrem lib. 3. affirmat Cœlius Rhodiginus lib. 8. cap. 45.

EX COMOEDIIS DIPHILI SENTENTIAE, quæ ſuperſunt.

In Iniuſtitiam & Auaritiam.

AN non ſtultiſſima res eſt turpi-lucrium?
Accipiendo enim animus occupatus alia non videt
Accipere ſi non eſſet, nullus foret malus
Iſtud eſt auaritia, cum neglecta conſideratione.
Iuſti, quauis in re lucro ſeruieris.

In Impudentiam.

Homine impudente nullũ animal eſt confidentius;
Malus enim eſt pudor, vbi vincit impudentia.

De Patientia.

Tam ignauus euaſiſti. Non enim animi fortitudo
Eſt quòd nũc facis ſed ignauia & puſillanimitas;
Dolorem ſuſtinere non poſſe, nec triſtitia tua moderari.
O' bone vir, diſce infortunatus eſſe, mortalis tũ ſis:
Vt

Vt ſolum, vbi neceſſitas cogit, infortunatè agas;
Non autem plura propter imperitiam infortunia tibi adſciſcas.

In Prodigalitatem.

Haud facilè cumulus aceruatur, etiam longo tempore.
Vno verò die facilè diſſipabitur.
Multi ſic affecti ſunt, vt ægrè queant
Parcere quicquã vlterius, quàm pro vita præſenti.

Malam fortunam eſſe celandam.

O' quàm moleſtum eſt, cum ærumnis vel curis obruto
Quilibet temerè ſpectator contigerit.

DE VITA, QVO'D VILIS ſit, & curis plena.

HOmo ſum. Idipſum autem vita
Maximam dolendi cauſam fert.
Non eſt vita, quæ non repleta ſit malis,
Doloribus, curis, rapinis, tormentis, morbis.
Horum quaſi medicus, mors appareſis
Dat requiem quibus malè eſt, ſopiens eos ſomno.

QV'OD NON BONVM ſit vxorem ducere.

VXorem bonam nanciſci, non facilis eſt res.

In Ventrem.

Præclarè aureus multa dixit Euripides;
Vincit me necessitas, miserq́; meus
Venter, miserius enim nihil est
Ventre, in quem primùm omnia conijcias,
At non in aliud vas, in pera feras
Panes, at non iusculentum, aut disperdes:
In sportam liba inijcies, at non lentem;
In lagenam villum, at non carabum;
In hunc dijs inimicum inferas
Omnia, secum nulla ratione consentientia.
Nec adiungo reliqua, quia vbique
Propter hunc miserum omnia hæc fiunt.

De Agricultura, quòd non bona sit.

Asellus vnus ex agro ad me descendit
singulis annis, ex voto
Quæ mihi satis sint omnia præparans,
Libamen, ordeum, oleum, caricas, mel.

Vituperium senectutis.

Canus artifex est tempus, hospes,
Omnes in statũ deteriorem transformare gaudet.

In id quod dicitur, Nosce teipsum.

Si noueris quid sit homo, iucundior eris.
Quid nobis ipsis consulemus, tum alijs

In Præstigiatores.

Proetidas expians puellas, & patrem ipsarum
Proetum Abantiadē & anum quintā inter ipsos,
Face vna, & scilla vna, quot hominum corpora,
Et sulphure, & bitumine resonantis maris
Ex quieto, & altifluo Oceano.
Sed diuine aer, mitte nobis per nubes
Anticyram, vt ex cimice fucum efficiam.

IN PERIVRIVM.

IVsiurandum meretricis & oratoris idem est;
Eorum enim vterq;, quos alloquitur, eis iurat.

IN MORTEM.

MOrtalis natus cùm sis, ne verearis mori.

De Deo, & in Diuinam vindictam.

- Omnium pater ex æquo
Qui est, eum tu perpetuò solum honora,
Qui tantorum bonorum inuentor est, & conditor.
- Nescis execrationibus obnoxium
Esse, si quis non aut rectè monstrarit viam,
Aut ignem accenderit, aut aquam corruperit
Coenaturo, aut interdixerit alicui?
Putas tu mortuos, ò Nicerate,
Delicijs omnibus fretos in vita
Effugisse diuinum numen, vt latentes?

Est iustitiæ oculus, qui omnia videt.
Etenim inferorum duas semitas censemus,
Vnam iustorum, alteram impiorum esse viam;
Et si vtrunque contegit terra, vt aiunt, tempore
Omni, digressus furare, defrauda, misce:
Ne quid aberres, erit apud inferos iudicium,
Quod faciet Deus omnium Dominus,
Cuius nomen formidabile, nec ego nominauerim.
Qui peccantibus in longum tempus vitam
Concedit. Si verò quis mortalium putet quotidie
Malum quid faciens deos latuisse,
Peruersa opinatur, & opinans decipitur,
Dum quietem agit at vltio diuina
Videte, quotquot Deum non esse censetis,
Est reuera, est; ac si quis malè malus
Agit, temporis vsuram lucretur.
Tempore enim postero poenas dabit.

IN PISCARIOS.

ARbitrabar ego piscarios prius
Esse prauos Athenienses solos;
Hoc verò, vt videtur, genus, veluti fera
Naturæ insidiatur, & vbique.
Atque hic quidam est alios supergressus omnes,
Comam primùm deo sacram nutriens,
Vt ait: non ob id tamen, sed punctis notatus,
Ante frontem veli loco eam habet.
Hic respondet, si quis roget, quanti
Nabrax, decem obolis, non addens tibi cuiatibus.
Deinde si argentum ei numeraueris,
Vendidi, inquit, Aeginæo; sin eum oportuisset
Pecunias soluere, Atticas reddidisset.
Ita vtrisque vicissim vtitur.

IN INFELICITATEM.

Fortuna nobis tanquam cyathos propinans,
Si vinum bonũ infundat, tria mala affundit.

In legem Corinthiorum.

Hoc, optime, lege cautum est hic
Apud Corinthios, vt si quem obsonare semper
Splendidè videmus, hunc rogemus, vnde
Viuat, & quid faciat; & si facultates habet,
Quarum reditus expensas soluere queant,
Bonis suis eum perfrui permittimus.
Sin autem supra substantiam suam sumptuosus fuerit
Prohibemus illi, ne id faciat amplius.
Qui si non paret, plectitur mulcta;
Si is qui nihil habet, sumptuosè vixerit,
Tortori eum trudunt. per Herculem.
Non enim absq; aliquo malo viuere licet,
Talem, scias sed necesse est eum
Aut prædari noctu, aut parietes perfodere,
Aut cum his qui talia patrant commercium habere,
Aut in foro sycophantam agere, aut testem agere
Falsum. Tale hominum genus expurgamus.
Et rectè quidem, per Iouem, sed quid hoc ad me?
Videmus obsonantem singulis diebus te,
Non quidem modestè optime, sed superbè:
Nec licet propter te solum pisces capere.
Compulisti nostram ciuitatem ad olera.
Ob apium certamus velut in Isthmijs.
Lepus quis ingressus est, statim rapuisti,

Perdicemq́ aut turdum, nec per Iouem amplius
Licet apud nos vllum volatile videre.
Externi vini precium auxisti multum.

In Adulatores.

Namque
Assentator, Imperatorem, optimatem, amicos,
Vrbes euertit, sermone sceleroso
Exiguum tempus oblectans, hoc verò tempore
Tabes quedã subijt plebem; iudiciaq́ nostra mala
ægrotant, & gratia multum valet.

IN VINVM.

O *Prudentibus omnibus amicissime*
Bacche, ac sapientissime, quàm suauis es?
Cum humilem solus magnificè de se sentientem
facias,
Supercilia tollentem, vt rideat simul persuades;
Imbecillumq́ audere quicquam, & timidum alacrem esse.

IN PAVPERTATEM.

H*Omine paupere nihil fortunatius est.*
Mutationem enim in deteriorem statum nõ
expectat
Paupertas impijs admixta moribus
Funditus perdit, ac subuertit vitam.

In Diuitias.

Aurum longè validissimum esse puta;
Per ipsum enim omnia scindũtur, & conficiuntur.

DE CONSCIENTIA.

Quisquis enim ipse non seipsum veretur,
Conscium sibi quòd mala commiserit,
Quomodo apud nescientem pudefieret?
Qui aliquid sibi conscius est, etiamsi fuerit audacissimus,
Conscientia tamen facit ipsum timidissimum.

IN LIBEROS.

SI tibi quàm pater videar melius dicere,
Me ipsum afficio iniuria; nec iam pius sum,
Quòd eum qui me satu suo procreauit offendam, necamem.
A' filia liberamur, re difficilis & molesta custodia.

In Fortunam.

Nec opinatum nullum hominibus malum.
Quotidianas enim fortunas experimur,
In vita, mortali firmum nihil est
Viuit enim nemo quam expetit vitam.
Si moreremur omnes, quibus non eueniunt
Quæ volumus, omnes moreremur.

IN AMOREM FRATERnum.

VIri enim amici & cognati domum
suam putare debet, is qui sedulò cognatus est.

IN BONITATEM.

-- Sed &
Bonorum hominum curam aliquam gerit Deus.
Et in rebus perplexis vir bonus vtilis est.
Illis qui boni censentur, certum est viaticum
In omni tempore, & quauis inclinatione fortunæ.
O' quàm felix res est prudentia, bonis coniuncta moribus.

In Tempus.

Tempestiuum quod est, lucrum vt fructum profert,
Omnis autem tristitiæ medicus est tempus.

IN MENDACIVM.

EGo existimo mendacium salutis gratia
Prolatum, nihil adferre mali.

Senteтniarum DIPHILI *finis.*

Sunt & hæc

DIPHILI,

ſed non valde ſententioſa.

PRandium conflauit eximium,
Si quod nouum aut deſiderabile; oſtrearum genera
Omnimoda, patinarum ordine cõpoſitum agmen;
Aſſatorum properabat cumulus è ſartagine,
Trimmatia his ſuccedebant in argenteis patellis.
Archiloche, accipe hoc pelluuium,
Plenum Ioue ſeruatore, bono genio.
Accenſa candela, candelabrum quærebamus.
-- Agedum tu potum infundito;
Meracius eſto, pueri, nam
Aquoſum omne hoc vitæ noxium eſt.
Congrum quidem, velut Priamus Hectorem,
Quantum attraxit, tantundem depoſita pecunia coemi.
Coenant illi; ego verò miſer
Mugil ex ſummo ieiunio euadam.
-- Polypus
Habens omnia integra ſuis partibus flagella,
Non libentiſſimè ſeſe circumroſit.
Non eſt vlla minutarum artium perniciosior
Quàm lenonis.
In itinere vendere deambulans volo,
Roſas, radiculas, thermocyamos, fraces,
Denique omnia potius quàm has alere.
Coenula florida, elegans erat valde;

Lenitis singulis vitis magnus catinus plenus,
Primùm: non iucundè, post eam adferens
In medium tripudiauit magnus saperda
(Ferè putidus hic vere) anthiam
Quem multa turdis obiecturum sciebat.
Tragelaphus, pristis batiaca, labronius.
Hæc mancipium minimè scilicet vides?
Poculorum nomina, ita per Vestam.
Labronius; aureorum autem filij viginti sunt.
Vinum doritis refrigerato.
O' parietis effractorum
Illa, & se occultantium lagenula,
Quæ potis es ad haustus accedere sub alam
Idq; vendere, donec tanquam in erano
Vnus reliquus supersit caupo affectus iniuria.
Nisi cum Phædimo familiariter congrederetur
Chabriæ filius Ctesippus, auctor essem
Legis alicuius non inutilis, vt mihi videtur;
Vt ei reficeretur aliquando patris
Monumentum singulis annis vno lapide
Plaustrali; ac valde vile postulo.
Effunde
Pleno calice, mortale circuntege Deo,
Bibe. Hæc enim nostri Iouis sunt sodalis, pater.
Me quidem non vides potum,
Iamq; thorace pleno ebrium & excandescentem?
At Aston Astionis filium vidit magis
Iam se è partibus duodecim pransum.
Polliceri licet plures bibituros sanè
Vberius quàm aut rhodiaca, aut fluenta.
Accedit (ad eum feramus) post omnia bona
Raphanus, pinguia intestina, caruncula multa
Mollissima, nihil hercle meis
Et hic res similes, neque

Contu.

Contusis oleis.

Lagenam inanem habeo, vetula, arcã verò plenã,
Quàm potens edendo, qui ante di-
ei ortum inchoauit, aut item cum die.
Nunquam pisces oculis vidi preciosiores,
Neptune; eorum si decimas acci-
peres precij quotidie,
Longè deorum esses ditissimus.
Veruntamen horum nisi quis adrideret,
Darem anxius quantum a me postularet,
Ab oenopola.
O' qui hunc intueris & possides
Braurenis sacri charissimum locum,
Latona Iouisq; arcu domita virgo,
Vt tragici loquuntur, quibus licentia & potestas
Est dicendi omnia & faciendi solis.
Gaudeo, cum nudos video,
Famelicos, & eos qui ante tempus semper
Omnia cognoscere cupiunt;
Coenat intra lares, quid putas, Laconicè
Heminem aceti, tantum? quid tantum? aceta-
bulum mensuram
Capit tantum Cleonaeorum.
Si quis diues parata coena me inuitat,
Non considero triglypha, vel tecta,
Neque perquiro Corinthios cados:
Verum diligenter obseruo coqui fumum.
Etsi in dextrum rectè latus vehemens tollitur,
Laetitia affectus sum statim, gaudeo, alasq; cõcutio
Si verò obliquus & rarus fuerit, statim intelligo
Quòd haec mihi coena (parata sit) sed sanguine
caret
Optimè liberasti te hac tessera,
Vrbanus es: depone drachmam, iacet; Quomodo

Iaciam

Iaciam Euripidem, cum nunquam
Euripides foeminam seruari? An non vides
In tragoedijs, quantus ipsarum osor fuerit?
Parasitos autem diligebat vnde & ait;
Omnis enim homo qui amplum victum possidet,
Nec ad minimum tres immunes alit,
Pereat, nec reditum in patriam adipiscatur.
Sed vnde hac obsecro? quid hac cura?
Non enim fabulam, sed mentem consideramus.
Non facilè te capiam, cum ipse ignarus sim
Eius rei, neque sic consumas diem
Mensā plurimis rebus bonis adornando superfluè.
Non enim abibo prius quàm cognouero
Quis sacra facturus, aut vnde apparaturus sit
Coenam, aut num vocauerit aliquos homines
Omnium verò generum descriptionem mecum habeo,
Quæ & qualia me emere aut custodire oporteat.
Veluti cum mercator, aut si manis
Nauclerut quispiam statim pollucet proiecto
Malo, & gubernaculo nauis confracto,
Oneribus ve eiectis, diues factus.
Talem mitto: nihil enim iucundè & libenter
Facit hic, sed quantum ex lege cogitur.
Inter libationes autem secum computat,
Quanta nauigationis socijs pars pertineat,
Tum suis quisque positis visceribus vescitur.
Sed cum alius ex Byzantio nauigauit
Tertianus, mali expers bene nūmatus nimis lætus
Qui in decem vel duodecim minam
Accepit naulum, & vsuram eructat,
Pulchris meretricibus Veneri deditus;
Propter hunc statim macto, exertamq; eius
Dexteram meæ inserui; recordatus Iouis

Serua-

Seruatoris; accinxi me ad ministrandum.
Talis est mos. Contrà iuuenis amori deditus
Patria abligurivit bona, & dilapidauit, discedo
Herclè ad alium a symbolis nos conuocantem, qui fortè
In fictile coniecit vas, plurimaq; reperit,
Fimbrias comprimentem, & exclamantem;
Quis vult obsonium venale parare?
Permitto cum clamore. Verbera enim oportet anteuertere
Venientem, & totam noctem ministrare.
Si enim mercedem petas, matulam mihi
Adfer prius, inquit; acetum lens
Non habebat. Vbi rursus petieris, poenas lues graues,
Primus ex coquis ait. Huiusmodi sexcenta
Alia possem dicere. Sed quò te duco?
Lupanar sumptuosum est, Adonia
Incedens amica cum aliis suis scortis passim.
Teipsum hinc auferes, alium locum percurrens.

Finis omnium quæ de Diphili scriptis inueniri potuerunt.

APOLLODORI COMICI VITA.

APollodorus Gelous, nouæ Comœdiæ poeta, σύγχρονος, hoc eſt, contemporaneus Menandri, vt Suidas teſtatur, Fabulas multas compoſuit, quæ omnes perierunt, præter paucarum nomina: quæ ſubijciemus. Fuit verò inter primos atq; p æcipuos nouæ Comœdiæ poetas. Quod ex eo conſtat, quòd Terẽtius, Donato teſte, duas ab eo fabulas tranſtulerit, Hecyram & Phormionem. Fuit & alius Apollodorus, comicus Athenienſis, 47. fabularum ſcriptor. Tertius Apollodorus Tarſenſis fuit Tragicus, cuius δράματα apud Suidã extant: ἀκανθοπλὴ, id eſt, ſpina percuſſus: τεκνοκτόνος, hoc eſt, vt ſic dicam, naticida: Hellenes, Thyeſtes, Vlyſſes, Hicetides. Quartus etiam Athenienſis fuit, profeſſione Grammaticus, Ariſtarchi & Panætij diſcipulus, cui Amphictyones Græciæ honorẽ habuiſſe Plinius ſcribit: & meminerunt eius, Diodorus Siculus lib. 1. de fabuloſis antiquorum geſtis, Strabo lib. 14. Plutarchus in Lycurgo, Gyraldus de Dijs gentium, Cœlius Calcagninus in Encomio liberalium artium. Quinti Apollodori Rhetoris, qui Olymp. 179. præceptor fuit Callidij & Auguſti, mentionem faciunt Euſebius, Strabo, Quintilianus, & alij. Sextus, amicus fuit Socratis, cuius colloquium cum Socrate iniuſtè iam damnato, qui volet petat, ex Xenophontis Apologia pro Socrate, ex Aeliani de Var. hiſt. lib. 1. cap. 16. & ex Stobæo. Plures huius nominis celebrantur à Plinio, Aeliano, & Nicolao Perotto.

EX APOLLODORO Geloo Sententiæ.

In Intemperantiam.

ET ianua clauditur vectibus, nullus autem
Faber tam munitum effecit ostium,
Per quod feles & adulter non ingrediatur.

In Patientiam.

Graue est fortuna negocium; graue inquam: sed oportet
Eam commodè feras, vt onus.

Infortunatos indigere condolentibus.

Omnib. hoc innatum est, vt infortunij tempore
Suauissimè afficiantur, ab alijs condolentibus.

In Spem.

Nunquã despondere animum infortunatus debet,
Viri, sed meliora semper expectet.

Quòd

Quòd inconſtans ſit hominum proſperitas.

Neſcio cui confidas, argento ne, pater?
Nam quoduis tempus nihil poſſidentibus.
Largitur iſtud; poſſidentes autem eo priuat.

Vitæ laus.

Cũ iuuenis eſſem, me mortis immatura miſerebat
Nunc verò cum ſenis funus efferri cerno,
Fleo. Eadem enim via mihi terenda eminet.
Non vbique Phryx ſum: ſi non viuere ſenſero
Melius, quàm viuere, meliori vtar.

Comparatio vitæ & mortis.

Tranquillè viuere, iucundum. Beata vita
Et venerãda ſi fuerit cum aliјs quoq; tranquillis.
Inter feras autem & ſimias verſantem oportet
Simiam eſſe, ò miſeram vitam,

In Senectutem.

Aetatem amare ſenilem ne contempſeris;
Cui tu quoque, ſi conſeneſcas, ſubijcieris
Non paruum verò illud eſt, in quo vincimus patres;
Vos enim obijcitis, ſi quid non indulgeat
Pater, An non tu quoque iuuenis ante nos fuiſti?
Patri verò ad filium ſicubi aduerſetur,
Non licet dicere, An non tu quoque ſenex fuiſti?

In Triſtitiam.

Non appellandus eſt felix, qui pecunias

Habet

Habet plurimas, sed qui non tristatur
Moerentibus enim & solicitis.
Qualibet nox longa videtur.

In Iusiurandum.

Flagro præsente iusiurandum ne postules.

In Milites.

Difficile est militem inuenire, cui ad senectam
Vsq; omnia bene successerint, nisi timidus sit.
Illicò miles factus est pro libero homine.

In Mediocritatem.

Magna dona fortunæ metum habent;
Et quod valde splendidum est, a periculo nõ abest.
Ne tutum est, quicquid est erectum in mortali genere,
Quod euerterit aut aliquod tempus, aut inuidia,
Postquam ad culmẽ prosperitatis quis ascenderit
At medioritas omnibus in rebus tutissima,
Quòd neq; tota omnino humili animi
Parte nitatur, nec rursus excelsa.
Etenim si quis cadat ex minori statu,
Facilius suum circumtegit infortunium:
At molis magnæ ruina fit magna.
Nam ad id quod est splendidum, impetum inuidia facit,
Ac decipit illos quos erexit fortuna.

In Parcitatem.

Atqui propemodum caput malorum

Dixisti.

Dixisti. In nummorum enim amore omnia insunt
Ego enim non aspexerim quanta diuitiæ sint,
Sed an qui eas possidet, ijs sit superior quæ habet.
Odi fortunam cum infortunato corpore versantē.
Quisquis enim opulentus in promptu habens vt suauiter viuat,
Malè viuit quid aliud quàm fortunam
Accuses? quòd cum fortuna infortunatus est.

De Amicitia.

Domum si quis amici ingressus fuerit,
Videre, Nicophon, licet amici
Beneuolentiam, statim vbi fores attigit,
Ianitor hilaris primùm occurrit, canis
Caudam mouens prodit; occurrit alius
Sellamq; statim parauit, licet nemo iubeat.

In Assiduitatem.

Satis temporis ad negocia si sumpseris,
Omnia cessabunt & comprimentur.

In Vitam hominum.

Vos appello omnes homines: quid vita iucunda
Prætermissa, datis operam vt res malè habeant,
Alij cum alijs belligerantes; Vtrumnè per deos quæso
Procuratrix quædam est vita nunc fortuna
Ferox vestra, quæ ne literis quidem omnino
Nouerit quid malum aut quid nam bonum sit,
Ignorans prorsus, temereq; & inconsideratè
Quouis modo vos volutans?

Arbitror

Arbitror equidem. Quis enim malit,
Verè Græca cum sit, offensos cernere
Hos a seipsis, & mortuos concidentes;
Cum liceat hilares ludendo succumbentes,
Tibiæ cantu recreatos, sic dicere, ò suauissima
Ferocem reuince nostram fortunam.
Et deinceps,
Non hoc est viuere, quam appellant
Deorum verè vitam, quantò verò iucundiores
Res in vrbibus essent (hoc tempore possent)
Si hac mutata vitam aliam degeremus?
Athenienses omnes potare, & ad
Annos vsque triginta foras prodire; Equites autè
Ad commessationes Corinthum, diebus decem
Coronatos & vnguentis ante lucem delibutos;
Raphanum vendentes coquere Megarenses,
In balneas ingredi commilitones,
Miscere vinum: memorabiles erant hæ deliciæ,
Eaq́ꝫ vera vita, at imperita fortuna
Seruimus,

De Magistratu.

Oportet auditorem. & reuera prudentem iudicē,
Antequam narretur sermo, vitam considerare
Dicentis qualis nam sit cuias, & summam studij
A' puero sui quorsum direxerit. qui enim est
Proditor sui ipsius, & malus ætatis ac formæ suæ
custos,
Talis in primis ciuitatem totam pessundat.
Non enim turpe putant huiusmodi homines re-
pulsam pati,
Cum nihil non audeant, dudum namq́ꝫ pudorem
Omnem exuerunt apud alias fores.

Itiq́ꝫ

Itaq; aggreditur omnia impudenter
Quilibet ipſorum, audax eſt vndequaq;,
Mentitur, peierat, teſtatur, rabulam agit,
Furatur peierat, teſtatur, rabulam agit,
Furatur, publicanus eſt, diſſolutus ac ignauus; tantundem verò
Si non ciuitatem, tribum certè ſuam paulatim euertit.
Sic enim ſenſim pars vna ciuitatum, poſt aliam
Ab improbis hominibus euerti ſolet.
Vide an non meritò contra iuuenes hæc dicere videar.

Sunt & hæc Apollodori Geloi.

Anxia, & lacuna vrna
Soluta & putei, decentes
Funes feciſti.
Nouum aiunt Chærephontem in nuptias
Tanquam ophellam non inuitatum, irrepſiſſe.
Nam pyride & corona accepta, vt tenebræ erant,
Aiens a ſponſa ſe, qui aues portaret,
Venire, irruens coenauit.
Inuito Martẽ, Victoriamq;, vt ad me ingrediãtur.
Voco etiam Chærephontem, nam niſi vocauero,
Non vocatus veniet.
Veruntamen villum admodum
Acidum erat & malum, vt me puderet.
Nam reliqua acetoſas prædia
Ficus ferunt: meum etiam vineas.

Finis omnium carminum Apollodori Geloi.

PHI-

PHILIPPIDAE COMICI VITA

DE hoc Poeta parum inuenitur apud autores, nisi quod Gellius lib. 3. capit. 15. de eius interitu mentionem facit. Sunt autem eius verba hæc; Philippides Philoclis filius, comœdiarum poeta haud ignobilis, ætate iam prouecta, cum in certamine Poetarum præter spem vicisset, & lætissimè gauderet, inter illud gaudium repentè mortuus est. Hæc ille. Plura scribit de hoc Philippide Donatus Acciaiolus in vita Demetrij regis; Fuit, inquiens, Philippides Poeta summa cum Lysimacho familiaritate coniunctus, multaq; per eum populus Atheniensis suscepit a rege beneficia. Compellebatur enim rex ad hunc hominem diligendum, ob eius integros mores, vitæq; probitate: in eoque præcipuè viro admirabatur, quòd cum secum versaretur assiduè ab omni tamen astutia, & adulatione, quibus regiæ domus abundare solent, quasi a perniciosa peste abhorreret. Itaque in animum suum induxerat, vt quandocunque sibi ad bellum, resq; gerendas proficiscenti occurrebat Philippides, hoc pro bono homine, & auspicato haberetur, quasi aliquod faustum felixque portenderet. Hactenus Donatus, Talis tamen (addit Gyraldus) cum esset Philippides, æmulo non caruit Stratocle apud Lysimachum, in quem & eius adhuc in Comœdia versus leguntur, quos ex Plutarcho sub finem hic adscripsimus.

EX PHILIPPIDE

Sententiæ, quæ inueniri potuerunt.

De Incontinentia,

Non ita fiet, vt tu nunc ais; ebrius fui pater,
Peccaui, vt veniam a me consequaris.
Nam qui aduersus imbecillum per vim. Pamphile, quippiam
Agreditur iniuria, non errato, videtur obnoxius.

De Virtute.

Cum peccaris in re aliqua libenter vinci te sinas,
Ita enim vel maximè, id quòd vsui est seruatur.

Quòd vxorem ducere non bonum sit.

Deformem vxorem duxisti, at diuitem.
Dormias iniucundè, iucundè epulans
Dicebam tibi ne duceres vxorem, sed suauiter viueres.
Platonis dictum bonum est hoc, Phidyle;
Non esse ducendam vxorem, neque fortunæ
Se per multa opponere negocia.

In Malitiam.

Asperrimus etiam sycophanta, si duas minas
Acceperit, agno mollior abibit.

In Fortunam.

Cum tibi contigerint, here, res aduersa,
Euripidis memor sis; tuq; facilius feres
Non est quisquam qui sit ex omni parte beatus:
Te verò de multis vnum esse censeto.

In Tempus.

Tempus, medicus communis, te sanabit.

Sunt & hæc Philippidæ, sed non valde sententiosa.

Miseret me certè vniuersorum,
Cum inopes quidem homines cerno
Liberales; mastigias verò in argentea
Lance minam pendente, iusculum nonnunquam
Duobus obolis edentes, aut tribus;
Et capparin ereis tribus, in catino
Pendente quinquaginta drachmas argenteo.
Ac prius licebat phialam suspensam videre;
Operosum scilicet hoc quidem etiamnum est.
Nam si quis dedicarit, statim alius surripuerit.
Deinde post omnia, venit qui testes adferebat
Multos; ac omnia quidem, ò mulier, reliqua vilipendebat;
Voce verò virum referens Gnathana, risu edito,

Praclari ſanè, inquit, renes, ita me chara
Ceres amet, ac duos correpros deuorauit;
Ex quo omnes pra riſu ſupini conciderunt.
Phanus autem ille nihil nobis monſtrabat, neque quicquam
Poſtea locutus es miſer, nec ego voluptate afficior.

In Stratoclem inimicum ſuum.

Per quem conbuſſit pruina vites,
Per quem ſciſſum in medio peplum eſt,
Honores diuinos mortalibus tribuentem;
Hac populum corrumpunt, non comoedia.

Eiuſdem apophthegma.

Lyſimachus tyrannus ad Philippidem comicum, qui amicus & familiaris ei erat;
Cuius te rei, dixit, participem faciam? Reſpondit ille, cuiuſcunq; volueris, modò ne ſecretorum.

POSIDIPPI, Comici Vita.

POSIDIPPVS Cassandreus patre Cynisco natus, Poeta fuit Comicus, & docuit tertio post Menandri obitum anno. Meminerunt eius inter alios Clemēs Alexandrinus, Stephanus, Harpocration, Iulius Pollux, Athenæus, qui ex ipsius fabulis in primis eam celebrat quæ vocatur πορνοβοσκός, hoc est, leno alens meretricem. Eum inter primos annumeratum esse, Gellius lib. 2. Noctium Atticarum indicat, ait enim: Comœdias lectitamus nostrorum Poetarum, sumptas ac versas de Græcis Menandro & Posodio, aut Apollodoro, aut Alexide. Vbi pro Posodio, Posidippo legendum censet rectè Gyraldus. Alius fuit Posidippus epigrammatarius, cuius mentio fit in commentarijs in Apollonium, in Cœnis Athenæi, & apud Stobæum. Extant etiam pleraq; ipsius epigrammata, in magno Græcorum Epigrammatum volumine.

EX COMOEDIIS Posidippi Comici Sententiæ.

De Vita, quòd breuis & inconstans sit.

Nemo vnquam absque dolore vitam transegit
Qui homo est: Neque vsque in finem
Mansit beatus.

De Morte.

Inter ea quæ homo diuinitùs sibi dari optat,
Nihil optat, quòd immortalitate melius sit.

De Adulatione.

Antehac pallium omnes, vt apparet, non me,
Salutabant iam ne vnus quidem mecum loquitur.

De Infelicitate.

Qui non nauigauit, nihil mali vidit.
Singulari prælio pugnantibus sumus miseriores.

De

De Dolore.

Operosum est moerorem effugere. Dies autem
Semper secum cura adfert aliquid noua.
Ita multiplex est versantileq; malum dolor.

De Liberis.

Filium aliquis educare potest, et si inops fuerit.
Filiam verò exponit, quamuis diues fuerit.

De Bonitate.

Notos arte mihi comparaui.
Multos; moribus plurimos amicos.

Sunt & hæc Posidipp', licet non omnino sententiosa.

Cum sis coquus, existi foras
Incoenatus? erant ne igitur Aphisea?
In foro facio opus.
Conduxit enim me socius quidam notus.
Ego assumpto mecum coquo, audiui
Coquorum omnia singulatim mala.
Artem alij alijs inuidentes aiebamus: non habet
Ad obsonium Creticum narem; iste os
Peruersum, ille linguam ad indecoras
Cupedias, nonnullaq; condimenta;
Sale gaudet, aceto fragmentis placentarum, insuper vstionibus;
Fumum non fert, nec ignem. Ferens autẽ ex igne
Ad macharas veneram: quorum vnus hic

Per macharas ignis profectus est.
-- Priuatim magnus est
Eis Seuthes, certus sis optime; quia
A bono nihil mihi videtur imperatore differre.
Hostes adsunt: profundus natura
Imperator adsistit, & rem excipit.
Hostis est scilicet compotans turba,
Bibit enim confertim hic, ingressus est
A' quindecim diebus vsque sperans & expectans
Coenam, impetu plenus, viribus defectus:
Obseruans quando quis ad manus ferat, intelligas
Eiusmodi turba dorsi spinam conglobatam.
Discipule Leucon vosq; mei vna ministri
(Omnis enim commodus, & proprius locus est
Artis ergo salire) quodnam condimentorum
Omnium optimum est in arte coquinaria?
Arrogantia in vniuersum autem artium
Quicquam habentem cernes hanc ducem sibi comparasse.
Viam hac sternit, ac prait, quiuis thoracẽ habeat
Squamatum, aut draconem ferreum,
Videatur Briareus; si res ita verò ferat, lepus est.
Coquus, si subseruientes ministros habens
Ad priuatum & tyrones ingrediatur,
Cumini sectores, omnem simul famem probè
Illiquefaciat quisq; statim sin veracem
Te prestes, & ad cutim vsq; exectus abeas.
Quod igitur pracipiebam, inanitati locum cede,
Et inuitatorum ora fac cognoscas,
Vt enim ad emporia, quod artis extremum
Est, ad os rectè prosilias.
Ministramus nunc nuptijs; victima bos sit:
Qui dat illustris est, illustris qui accipit?
Horum mulieres sacra dea sunt Dea;

Corybantes,

Corybantes, tibia, pernoctationes, reuersio.
Hippodromus & studium hoc tibi est coquina.
Memento horum tu quoque.
Phryne longè nobilissima extitit ante nos
Meretricum; etenim an iunior
Is temporibus esset certamen audisti;
Quæ vitas lædere maioribus damnis videbatur,
Heliaam de corpore cepit,
Animum vix incolumem seruauit.

Pasidippi carminum Finis.

EPICHARMI COMICI VITA.

DVOS Epicharmi nomine celebres viros fuisse, memoriæ proditũ est; alterum Coum, Pythagoricũ philosophum, cuius vitam Diogenes Laertius explicat; alterum verò Comicum, de quo nunc agimus. Hic Epicharmus patria fuit Syracusanus, vel, vt alij volunt, Craftirus a Crasto Sicanorum vrbe: vt Neanthes lib. De viris illustribus, & Stephanus prodiderunt. Alij Megarensem ex eadẽ insula faciunt; vnde Aristoteles in Poetica Epicharmum, & Horatius in Epistolis, Siculum tantùm appellauerunt. Alij eũ Samium, alij Coum faciunt, vnumq; ex ijs qui cum Cadmo in Siciliam emigrarunt. Diomedes Grammaticus ideo Coum putauit, quòd in ea insula exulauerit: quin & a Co insula Comœdiam ait a plerisq; de nominatam videri. Parentes habuisse dicitur Epicharmus Chimarum, seu Tityrum, & matrem Sicida. Aristoteles, eũq; sequutus Plinius lib. 7. duas ab Epicharmo literas inuentas asserunt, ϑ & φ Sed de Græcarum literarum inuentorib. fusissimè tractat Ioannes Tzetzes in Variæ historiæ Chiliade duodecima, sub initium; quem qui vult, consulat. Suidas cum Aristotele, affirmat, eum cum Phormo Comœdiã inuenisse in Sicilia. Cicero acutum, nec insulsum hominem, in Tusculanis appellat, vbi & versus ex eo adducit. In Epithetis mirè excelluisse eundem Epicharmum, author est Demetrius Phaleræus. Dicendi quoque modus ab eo defluxisse dicitur, quem Epi-

charmion

charmion Græci appellant. Proditum quoq; est literis, Epicharmum, cum liberius obscœnum nescio quid, coram Hieronis vxore locutus esset a tyrãno malè multatum, solumq; vertere coactum fuisse. Qua de re meminerunt Plutarchus in Apophthegmatibus, L. Viues in libello de Christiana fœmina, D. Dionis Lombinus in Politicis Aristotelis. Quo autem tempore vixerit, variè traditur. Quidam enim ante Persarum tempora fuisse credunt, quo tempore Athenis Euetes & Euxonides & Mylos celebrantur. Alij eodem Persarum tempore, atque etiã post, quæ omnia vera esse possunt, cum inter longæuos connumeretur. Vixit enim, vt in Macrobijs obseruat Lucianus, annos 97. Hiero verò circiter 74. Olymp. regnasse dicitur: & Cyrus capta Babylone, Olymp. 60. regnum ad Persas transtulit. Verùm hæc ex supputatione Funccij. Fabulas Dorica lingua multas docuit Epicharmus: Suidas quinquaginta duas, Lycon triginta quinque, alij longè plures, adeò vt Apollodorus eas in decẽ volumina digesserit, vt in Plotini vita sub finẽ scribit Porphyrius. Vult Horatius. Plautum Latinum Comicum in fabulis componendis imitatum esse Epicharmum, dum libro 2. Epistolarum sic ait, inter alia; Plautus ad exẽplar Siculi properare Epicharmi. Plato quoque non paucas ex Epicharmo sententias mutuatus dicitur ab Alcimo, & Christophoro Landino Horatij interprete. Eius locum περὶ θεῶ λόγ integrum annotabimus, quia versuũ ratio nõ est vbiq; obseruata a Clemẽte.

EX COMOEDIIS EPICHARMI, VETERIS Comœdiæ poetæ, Sententię, quæ superſunt.

In Garrulitatem.

AD dicendum non idoneus, & ad tacendum impos.

De nuptijs, & in mulieres.

Vxorem ducere perinde eſt, atq; tres ſeniones, aut tres talos
Fortuitò iecisse. Nam ſi nactus fueris compoſitam
Moribus, & aliàs nullam moleſtiam exhibentem, nuptijs beatus eris
Sin & vagam, & loquacem, & ſumptuoſam;
Non vxorem habebis, ſed per totam vitam miſeriam exornatam.
Nihil eſt inclyta terra muliere grauius;
Noui expertus. Felix ille, qui ignorat.

In Ignobilitatem.

Suffocor, cum nobilitatem, qui nihil eſt & malus,
Nominat, qui & moribus ignobilis eſt.

Quid

Quid enim ſpeculo commercij cum cæco?

In Amorem.

Amoris mollities leonis robore domanda eſt.

De Nobilitate.

Perdit me genus. Ne dicas, ſi me amas,
Mater, ad ſingula genus. Quibus natura
Boni nihil eſt peculiare,
Eò confugiunt ad monumenta
Et genus, numerantq́ꝫ quot auos habuerint.
At ne vnum quidem videris, aut nominaueris, cui
Non ſint aui, aliter enim quomodo nati eſſent?
Quos tamen ſi proferre nequeunt, propter aliquam
Loci mutationem, aut amicorum penuriam,
Quid illis qui auos numerant ſunt ignobiliores?
Quiſquis ſuapte natura proclinis ad bona fuerit,
Nobilis eſt, etiamſi matre Aethiope natus ſit.
Ex Scythia putas damnum fieri. Anacharſis nonne fuit Scytha?

De Vita.

Tanquam longo
Tempore victurus, & tanquam breui, ita animo cogites.

De Tranquillitate.

Quies & tranquillitas, ò mulier, gratioſa res eſt.
Et maximè vicina temperantiæ.

De Verbo diuino ex Clementis Alexandrini Stromatis.

Et Comicus Epicharmus de verbo sic apertè dicit in Republica; Vita hominum ratiocinatione & numero valde indiget. Viuimus autem numero & ratiocinatione Hac enim conseruant homines. Deinde subiungit apertè; Verbum regit homines, & ritè conseruat Deinde; Si homini est ratiocinatio, diuinum quoq; verbum inest ei in ijs, quæ ad victum pertinent, & alimenta. Artes autem omnes diuinum consequitur verbum, quod ipsum semper eos (homines) edocet, quid nam vtile facere oporteat. Non enim homo inuenit artem, sed eam adfert Deus. Hominis autem ratio orta est ex diuino verbo.

In Ignauos.

Ignauus ferocit valde initio, tandem fugit.

In Mentem.

Enimuero mens cernit, & mens audit.
Reliqua autem surda cæcaq; sunt, &
Rationis indiga.

In Iram.

Ne te ipsum ob res leues iracundum exhibeas.
Superare non iram conuenit, sed legem.
Nemo iratus quicquam rectè delibrat.

In Paupertatem.

Omnis namque pauper plurima mala lucratur.

In Voracitatem.

Primum omnium si comedentem eum videres, moreris.
Fremunt intus fauces, resonat maxilla,
Strepit dens molaris, tumultuatur canimus,
Stridet naribus, mouet auriculas.

De Liberis.

Nullus est locus vsque definitus,
In quo omnes aut improbi gignantur, aut probi.

In Inuidiam.

Quis vitio vertat, si mihi fiat amicus inuidiosus.
Nullus enim vir est, cui non inuideatur
Cæcum quis cernens miseratur, at nemo ei inuidet.

In Auaritiam.

Manus manum lauat, & digitus digitum.
Manus manum fricat, da aliquid, & accipe aliquid.

De Assiduitate & labore.

-- Cæterum diligens industria
Plus donat amicis, quàm bonum ingenim.

-- Mercede

- *Mercede laborum idoneorum*
Vendunt nobis omnia bona dij.
Tua enim patria laboribus amplificatur;
Ociosa verò ciuitates in tenebris iacent,
Et tenebras vident formidolosa.

De Prudentia.

- *Esto sobrius &*
Memor diffidere: hi nerui sunt sapientiæ.
- *Non poenitere post factum,*
Sed multò ante deliberare virum decet sapientē.

De Bonitate.

- *Si puram*
Mentem habueris, toto corpore purus eris.
Ipsum ingenium hominibus alijs bonus dæmon.
Alijs malus est.

Finis omnium quæ de Epicharmi scriptis inuenta sunt.

EVPOLIDIS
Comici Vita.

EVPOLIS Atheniensis, priscę Comœdiæ scriptor, claruit Apollodoro principe Atheniis Olympiade 88. vt Eusebius in Chronicis, & Prænotamenta in Aristophanem indicant. Vbi etiã legitur, Eupolin δυνατὸν τῇ λέξει, καὶ ζηλοῦντα Κρατῖνον fuisse; hoc est, stylo rudem, & Cratini præcipuum imitatorem. Mentio eius fit frequens, & honesta, apud hos potissimum authores, vt sunt; Pausanias, Plutarchus, Aelianus, Lucianus, Apollonij interpretes, Suidas, Pollux, Athenæus, Hæphæstion, Isaacus Tzetzes, Cicero, Quintilianus, Horatius, Persius, Iuuenalis, Politianus, & alij. Dicitur autem a Persio iratus, quòd vitiorum hominum esset acerbissimus impugnator. De morte Eupolidis variant authores. Platonius, Græcus author, vbi de Comœdiarum differentijs agit, sic inquit: ἴσμεν γοῦν Εὔπολιν ἐπὶ τὸ διδάξαι τοὺς βάπτας, ἀποπνιγέντα εἰς τὴν θάλατταν ὑπ' ἐκείνων, οὓς ἔθηκε τοὺς βάπτας, hoc est: Scimus Eupolin, quoniam fabulam Baptas docuerat, ab ijs ipsis in mare submersum, contra quos Baptas emiserat. Marcus Tullius in sexto Epistolarum ad Atticũ sic refert; Quis

enim

enim non dixit εὔπολιν διὰ τὰς ἀρχαίας ab Alcibiade nauigante in Siciliam, deiectum in mare? Redarguit Eratosthenes. Affert enim, quas ille Fabulas post id tempus docuerit. Quidam eo bello submersum prodiderunt, quod apud Hellespontum contra Lacedæmonios gestum est. Atque post id bellum lege publica cautum esse, ne quis poeta stipendia militaria deinceps faceret. Qua ex re non obscurè conijcitur, Eupolin maxima apud Atheniēses authoritate fuisse. Sed enim ex Aeliani de Animalibus libro decimo, interitus Eupolidis historiam sic discimus. Eupolidi, inquit, Poetæ Augeas Eleusinius canem Molossum genere, & specie conspicuum, dono dedit; quem cum gratissimum haberet, de nomine amici Augeam appellauit. Is canis qua fidelitate prosequeretur dominum suum, egregiè ostendit. Cū enim Ephialtes, Eupolidis seruus, quasdam eius fabulas surripuisset, canis acerrimo impetu in direptorem incurrit, mordicusque eum comprehensum interfecit. Porrò in Aegina, cum Eupolis vita excessisset, ibique sepultus fuisset, canis ad tumulum primùm quidem diu luxit, verùm deinde mœrore inediaque extabuit. Vnde & loco ei nomen inditum est κυνὸς θρῆνος· hoc est, canis luctus, Hæc Aelianus. Nec desunt, qui historiam Eupolidis sic referant: Archæam, aiunt, Comœdiam ad Eupolin vsque peruenisse: qui, quòd Alcibiadem Atheniensium principem perstrinxisset, ab eo est in mare deiectus, & (vt quidam volunt) diu inter vndas iactatus,

tandem

tandem euasit. Sed hactenus de morte. Eupolidis sepulchrum non procul ab Asopo Sicyoniorum fluuio monstrari Pausanias in Corinthiacis author est. Fabulas septemdecim docuisse, atque in ijs septies vicisse Eupolis proditur.

EX COMOEDIIS EVPOLIDIS,

Veteris Comædiæ poetæ, Sententiæ quæ ſuperſunt.

In Imprudentiam.

AGe, ſpectatores pluribus audite, & intelligite
Rem. Rectà enim ad vos cauſa noſtra dictionem eloquar.
Nam cum peregrinos poetas audiſtis, ſtatim ſapientes pronunciatis.
Si quis verò noſtratium nihilo illis inferior ſapientia,
Aggrediatur poeſin, omnino deſipere iudicatur.
Quin & inſanit, & mente non conſtat; vt vos clamatis.
Sed agite mihi auſcultate, & moribus planè immutatis
Non inuidete, ſi quis è veſtratibus iuniorum muſica delectetur.

Breuitas in dicendo.

Relinquam ambages in dicendo;
Eloquar autem rem ipſam intra ſuos fines.

In

In Cimonem.

Malus quidem non fuit, sed vinolentus & negli-gens.
Et quandoque cubabat in Lacedamone,
Hac Elpinice sola relicta.

In Adulatorum vitam, seu viuendi rationem.

At viuendi rationem quam habent adulatores, apud vos eloquemur.
Verùm audite, quàm sumus omnes elegantes viri: quibus
In primis puer pedissequus est, multis in rebus alienus;
Vestes verò mihi duæ sunt festiuæ; harū induens
Semper alteram in forum erumpo; illicq; post-quam
Aspicio quempiam virum fatuum, at diuitem, statim huic me applico.
Et si quid fortè diues dicat, vehementer laudo, & stupescens admiror,
Præ me ferens quasi verbis later, deinde ad cœnam venimus, aliò
Alius nostrum ad polentam alienigenam: vbi o-portet lepida multa
Adulator statim dicat, quæ foras feruntur, noui autem medicamentarium
Hunc stigmaticum, patientem. Cauillum enim-uerò dixisti, aiebam.
Deinde ipsum puer foras productum, habentem collarium, tradit Oeneo.

In Niciam.

Quamdiu est, quod non fuisti apud Niciam?
Imò non vidi, nisi nuper in foro stantem
Vidisse se homo Niciam ait?
Qui potuisti eum videre? nisi fortè prodens roges;
Audiuitnè quispiam vestrum, coætanei,
In ipso facto deprehensum Niciam?
Vos enim ò mente capti homines, an
Virum optimum in tanto crimine deprehendatis?

In Periclis eloquentiam.

Optimus hic erat inter omnes homines dicendo;
Si quando procederet tanquam boni cursores,
Sexdecim pedes, orando anteuertebat oratores.
Celer quidem in dicendo, sed ad ipsius celeritatem
Suada quadam insidebat eius labijs,
Sic persuadebat: & solus ex oratoribus
Stimulum quasi relinquebat in auditorum animis.

In eiusdem Spurium.

Spurius an mihi viuit? Ac iam pridem vir fuisset,
Nisi iam meretricium malum submetuisset.

De Republica.

Etenim de pluribus quæ se offerunt, non habeo quod dicam,
Ita vehementer angor, rempublicam intuens nostram.
Nos enim non ita vrbem colebamus olim, ò senes,

Sed

Sed erant nobis in vrbe primùm quidem imperatores
Ex præcipuis familijs, opibus genereq́ præstantes,
Quibus tanquam dijs vota faciebamus; erant enim digni,
Itaq́ securè degebamus. At nunc vt fortè fortuna contingit
Militamus, imperatores scelestos & piaculares diligentes.
Vrbanus homo est, sed mores Polypi habet.

In Protagoram.

Est iam intus Protagoras ille Teius.
Bibere enim Protagoras iubebat, vt
Ante canem pulmonem gestaret flaccidum.

In Phæacam.

In loquendo optimus, in dicendo impotentissimus.

Capellarum, de cibi sui copia, iactantia.

Pascimur omnigenis syluarum frondibus, abiete,
Illice, arbuti teneros ramos decerpentes;
Ad hæc & alia carpimus, velut cytisum, &
Phascum fragrantem, & similacem multa folia habentem,
Oleastrum, lentiscum fraxinum, ficum, quercum, hederam, myricam,
Viticem, spinam albam, verbascum, albucum, cisthum,
Fagum, thyma, satureiam.--

Finis Sententiarum Eupolidis.

Sunt

Sunt & hæc Eupolipidis, licet non admodum sententiosa.

ODio est Laconismus, etiamsi Tagenismum emerim:
Multas tamen hoc tempore vitiatas arbitror.
Qui verò primus author fuit, vt primùm abbiberetur, *(fuit.*
Ad multã lacoproctiam excogitãdã nobis doctus
Cedo, quispiã ait, matulã, omniũ primus interim
Palamedis inuentum istud est, & elegans. (bens.
Quid illud est vulpis quisquilia?
Ecastor hæc nullos abarcet ianua,
Faciem habens squilla lori instar tortilis:
Cincinnos gerens aureos, anguillarũ instar sese im
Qui delicatè inuitis, de cætero securi (plicantes.
Hanc ego olim quærens harmoniam.
Quoniam altera manu claudus vehementer est.
Vino præsente, acetum bibere cupiuit.
Hæc mala patiuntur, venditionem tamen non po
Coenam appone, centum drachmas ecce. (stulo.
Auferunt, rapiunt ex ædibus
Aurum, argentumq; direptum est.
Sed ò chare Iupiter, nasum iuxta situlam habes.
Verùm neq; arcas habent copiose repletas
Ego verò te acubus tribus pungam.
Conditam opiparè, vile malumq; obsonium.
Non igitur circumscribes, quantum in prandium decernatur.
Quid est ad hamillam? prandebo,
Et massam siue molam, ceu coturnicem feriam?
Aureos habens stateres ter mille.

Finis omnium quæ de Eupolidis scriptis inuenta sunt.

CRATINI

COMICI VITA.

CRATINVS Callimedis F. Atheniensis, veteris Comœdiæ poeta, & penè author fuit, si ab Horatio stamus. Celebris habitus est cũ Platone Comico, teste Eusebio, Olymp 81. Prænotamenta in Aristophanem indicant eum circiter 85. Olymp. floruisse, diemq; suum obijsse, cum Pytinen fabulam docuisset, & ex ea victoriam retulisset; eo tempore quo primùm Lacedæmonij in Atticam irruerunt: anno ætatis suæ nonagesimo septimo, vt obseruauit Lucianus. Fabulas vnam & viginti scripsisse, & ex ijs nouies victoriam consequutus esse proditur. Acron Horatij interpres, in arte Poetica, Cratinum Athenis, dum essent Dionysia, satyricam fabulam induxisse scribit. Ex tragœdiis enim satyrica dramata instituta, in quibus salua maiestate, maiestatis, vt ipse ait, iocos exercere consueuerant. Verùm huic Acronis de Cratino sententiæ reclamat Angelus Politianus in Prælectione in Persium. Cratinum vocat idem Persius audacem satyra prima, nullam aliam ob causam forsitá, quàm quòd mira dicendi acerbitate prosciderit Athe-

nienses.

nienſes, autor prouerbiornm ἐπειοῦ δειλότερος, hoc eſt, Epeo timidior, ſic inquit; Datum eſt hoc cognominis Cratino Comico, per alluſionem fortaſſis, quòd cum Oenoidis tribus princeps eſſet, in eo munere timidius ſe gereret. Idem ferè dicere viuetur Apoſtolius Byzantius ἐν παροιμιῶν συναγωγῇ. Epigrāma Nicerati, ſeu Aſclepiadis in eum ſcriptum, fini ſententiarum ſubijciemus. Plura de Cratino videri poſſunt apud Platonium, Plutarchum in Vitis, apud Aelianum, Suidam, Athenæum, Pollucem, Gyraldum, & alios. Cratini iunioris fabulos citat Athenæus quoque. Cratini pictoris meminit Plinius. Pauſanias luctatorem quendam inſignem, Cratinum appellatum ait: & alium, qui ſtatuariam exercuerit.

EX COMOEDIIS CRATINI

Veteris Comœdiæ poetæ, Sententiæ quæ ſuperſunt:

In Aſpaſiam Periclis pellicem,

TVnonemq́; ſibi Aſpaſiam parit, Et petulantem pellicem, & impudentem.

In Gneſippum quendam, hilaris Muſæ luſus ſcriptorem.

Qui non permiſit Sophocli potenti chorum,
Sed Cleomacho; quem ne digner quidem
Doctorem habere, vel in ſacris Adonijs.

Et in Horis fabula, in eundem.

.. Procedat autem & tragoedia
Cleomachi magiſter, cum pilatricibus
Coetum agens, qua more Lydio vellerent loca
Obſcoena.

In Dædali opera.

.. Nequaquam

Ligneus ille, sed aneus profugit.
Num Dædali fuit opus, aut eum quispiam surripuit?

In Generosos.

Speciosus videris, at nominis nihil
Ad manus adfers.

De Felicitate.

Bona quibusdam spontanea Deus aperit.

In Cimonem.

Nam & ego Metrobius scriba optabam
Cum viro egregio, & munificentissimo,
Omnium Græcorum optimo, primarioq́;
Cimone dulci fruens senectute,
Omne tempus transigere. Verùm id nobis
Fata prius eripuere.

De Eloquentia.

Præses Apollo carminum fluentium,
Etsi resonent fontes, duodecim scaturigenum os,
Illissus fauces impleat; quid tibi eloquar?
Nisi enim quis ei obturauerit os,
Omnia hæc loca poematibus irrigabit.

De Vino.

Sed erat, quando in Phœsone hanc illi cohærens
Mecum traduxisti, pampinum vini trahens.
Nec curaui tantum, nec Marona bibi.

De

De Oxybapho, quod poculi nomen est.

-- Quid verò si
Quis eum à nimio potu cohercuerit?
Ego noui, conteram enim cobas ipsius,
Et cadiscos miscebo sordibus,
Et quæcunque alia potui apta vasa sunt,
Vt nec oxybaphum amplius vinarium retineat.

In Paupertatem.

Araneis refertum habes aluum.

In Platonem.

Homo es profectò menoemq; & sensus habes.
Iuxta Platonem, vix scio, verùm arbitror.

In Poetas.

Bene condire non est cuiuslibet,

In Sordidos.

Hirtum habens anum, velut qui fabarum fur-
fures edit.

Vituperium audaciæ.

A' iuuentute eius alienus, menti verò &
Ingenio conueniens.
Finis Carminum omnium, quæ de Cratini scri-
ptis inueniri potuerunt.

In Cratinum epigramma Ni-cerati, vel Thęeteti, ſecundum alios verò Aſclepiadis.

Vinum magnus equus lepido eſt ad carmina vati,
Bibens aquam vix carmen effinges bonum.
Hæc dicebat, Bacches & ſpirabat non vnum vtrẽ
Cratinus ſed integrum olebat dolium.
Ergo coronis cõſpicuus erat. Habebat aũt hedera
Frontem, ſicut tu, redimitam.

PLATONIS
Comici Vita.

PLATO Atheniensis, veteris Comœdiæ poeta, circa 81. Olympiadē claruisse dicitur ab Eusebio, vt in Cratino dictum est paulo antè. Suidas eum temporib. Aristophanis, Phrynichi, Eupolidis, & Pherecratis vixisse asserit, quod tamen minus verisimile est. Aristophanes enim Olymp. 86. clarus habitus fuit, vt in Funecij Chronologia videre licet. Et Clemens ὁ στρωματεὺς lib. 6. Strom. ait, Aristophanem, & Platonem, a se inuicem surripuisse quædam in Comœdia, cui vterque Δαιδάλου nomen indidit. Λαμπρὸς τὸν χαρακτῆρα fuisse dicitur a Suida, ex Athenæo forsitan: hoc est, stylum habuisse splendidum & illustrem. Fabulas idem Suidas composuisse Platonem ait 28. quas & enumerat. Athenæus, tres adijcit. Citatur tum apud alios, tum in primis apud Plutarchum in Alcibiade, Antonio & Pericle: apud Clementem Alexandrinum, Athenæum, Pollucem, & Suidam Nec Galenus, non modò arte medica, verum etiam eruditione varia insignis, dedignatur Platonis nostri versus in medium adducere, quos nos titulo εἰς λυχνίαν inscripsimus.

EX COMOEDIIS
PLATONIS
Veteris Comędiæ poetæ, Sententiæ quæ ſuperſunt.

Aenigma.

O Cypriorum rex Cinyra, hirſutorum hominum.
Puer tibi formoſiſſimus natus eſt, admirabilisq́; tibi
Præ omnib. hominib. Verùm duo ipſum dæmones tenent:
Hæc quidem impulſa per occultas ſolitudines, ille impellens.

In Inductum.

Meleager iſte Glauconis F. magno ortus genere,
Cuculus inſulſus circumit,
Cucumeris, peponis, eunuchíjq; crura (ſimilia) habens.

De Panibus.

Mox aduolauit coemptis non puris & nitidis,
Sed grauibus Cilicijs panibus.

De Mulieribus, quanta ipſis propter vinum accidant.

Vt vobis, mulieres, aliquando.
Vinum in dementiam vertatur opto.

Nihil

Nihil enim vobis mentis est; sed vt prouerbium habet,
In popina mihi videtur mens esse.

In Dedali opera.

Heus quis es? dic statim, taces? non loqueris?
Mercurius sum, Dædali vocem habens,
Ligneus, mea sponte incedens huc veni.
Dædalea omnia moueri videntur,
Et vident simulachra.--

In Plebem.

Apprehende apprehende quàm celerrimè manum meam,
Imperatorem decreturam istum Agyrrhium,
Quærentem peluim ac pennam, vt scelus euomat.
Officit mihi (dicentem (linteũ ad tribunal eunti.
Depascitur foetulentum caput morb. teterrimus.

In Themistoclis sepulchrum.

Tuus tumulus commodo loco erectus,
A' mercatoribus ex omni parte salutabitur;
Nauiq; abeuntes, & appellentes videbit,
Nonnunquam etiam certaminum naualium spectator erit.

In Mugiles.

.. Egredienti mihi
Piscator occurrit, adferens mihi mugiles,
Pisces sanè ieiunos & malos mihi attulit.

In Cinesiam.

.. Post hæc autem (in concionem prodijt)
Euagoræ filius Cinesias è morbo laterali
Aridus puris expers, arundinea habens crura,
Tabis propheta crustis inustus
Plurimis in corpore ab Euryphonte.

De esu carnium, ex Clementis Stromatis.

Nam ex quadrupedibus nullum occidere nos
In posterum oporteret, præter sues: carnes enim
Suauissimas habent, & nihil de sue redit
Ad nos, præter setas, coenum, & clamorem.

In Oxybaphum.

Epicrates & Phormesius acceperunt
A' rege plurima munera,
Vasa aceti aurea, lancesq; argenteas.

In Ostracismnm.

Quidnàm commisit hic bonis moribus dignum,
Suis autem flagitijs maximè indignum?
Sanè talium virorum causa non est inuentus ostracismus.

In Pædagogum quendam.

Perdidisti meum adolescentulum, quem tibi commiseram,
Impie, ac persuasisti vitam sequi

A' se

A' se alienam: ac compotatiunculas matutinas.
Bibit nunc tua culpa quod antea nõ consueuerat,
Itanè ne si viuere didicerit, here reprehendis?
Ita ratione viuitur, vt sapientes aiunt.
Epicurus enim ait esse summum bonum
Voluptatem; ac non licet habere
Eam aliunde Imò ex honesta vndique vita.
Bene saluos vniuersos nè fortè mihi dabis?
Vidistin philosophorum, dic quæso quempiam
Ebrium, in ijsq́ versantem quæ dicis;
Vniuersos videlicet qui supercilia tollunt,
Et prudentem quærunt in deambulationibus,
Et in diatribis, quasi fugitiuum.
Ita cùm glauciscus ipsis fuerit appositus,
Norunt qua sit parte primùm attingendus.
Ac caput quærunt quasi ad rem pertineat;
Vt omnes obstupescant.

Paropsides.

Mulier dormiens ociosum quiddam est, intelligo.
Ac vigilantes sunt paropsides.
Hæ solùm longè præstantiores ad voluptatem
Captandam sedent Non enim paropsides
Quæuis sunt, quæso te?
Alienæ res similes sunt paropsidibus;
Paululum enim oblectantes, citò consumuntur.

In vrbanum quendam Philosophum.

Licet vxorem habenti pulchram decumbere,
Et Lesbij ollas duas accipere;
Prudens hoc ipsum bonum est
Epicurus dicebat, quæ nunc ego dico;
Si omnes eo modo viuerent, quo ego viuo,
Nullus insolens nullusq́ moechus esset.

Sententiarum Platonis Comici Finis.

CRATETIS COMICI VITA.

CRATES Atheniensis primùm quidem fabularum Cratini actor fuit, vt Aristophanis interpres indicat super illud in Equitibus.

Οἵας δὲ κράτης ὀργὰς ἡμῶν ἠνέχετο καὶ στυφαλισμούς.

hoc est;

Qualem verò iram vestram Crates sustinuerit & contumelias, &c. Postea verò poeta priscarum comœdiarum factus, planè ridiculus & hilaris, primus in Comœdia ebrios induxit: vt ex Thomæ Magistri Prolegomenis in Aristophanem, cognoscere licet, si modò ei verè adscribantur. Aristoteles in Poetica sua, de Cratete nostro in hunc modum scribit: Τὸ δὲ μύθους ποιεῖν ἐπίχαρμος καὶ φόρμης ἦρξαν, τὸ μὲν οὖν δὲ ἀρχῆς ἐκ σικελίας ἦλθε, τῶν δὲ ἀθήνησιν κράτης πρῶτος ἦρξεν, ἀφέμενος τῆς ἰαμβικῆς ἰδέας, καθόλου ποιεῖν λόγους ἢ μύθους. hoc est; Cæterùm confingere fabulas, quod quidē a Sicilia primùm manauit, Epicharmus & Phormus cęperunt; sicuti quoq; ex Atheniensibus Crates, iambica prorsus ratione omissa, in vniuersū sermones vel fabulas confinxit. Horū verborū sensus is colligi pōt ex eod. lib. Cum apud vetustissimos duo solūmodò poematū genera fuerint, alterū laudationi, reprehensioni alterū dedicatum: duo & poetarum genera fuerūt,

heroici

heroici nempe, & iambici: quorum hi conuicia, illi laudes scribebant. Atque hinc verbi ἰαμβίζειν vsus emanauit, Aristotelis ætate frequentissimus, quòd eo carminis genere, iambico inquam & mordaci, se vicissim lacerabant. Huiusmodi igitur carmine omisso, Crates, quod Epicharmus & Phormus fecerant in Sicilia, ipse Athenis se ad fabulas fingendas, vt mitius poematum genus, conuertit. Videmus ergò, Cratetem inter primos Comœdiæ scriptores habitum fuisse. Fabulas septem composuit, si Aristophanis interpreti credimus. Suidas tantum tres recenset, quarum nomina sunt; θησαυρὸς, ὄρνιθες, φιλάργυρος. Cum autem nusquam apud Aristophanem fabularum nomina exprimantur, incertum relinquitur, an huic Crateti, an verò Epilyci ἰάμβων poetæ fratri, septenarius fabularum numerus sit adscribendus. Decem enim Cratetis nomine insignes fuisse viros, alicubi Diogenes Laertius testatur. De quibus etiam cõsulendi sunt Plutarchus Plinius, Epistolarum Græcarum volumen, Planudis Florilegium, Suidas, Stobæus, Athenæus, Volaterranus, Arati commentarij. Vbi etiam nostri huius Cratetis authoritas adducitur.

EX COMOEDIIS CRATETIS

Veteris Comœdiæ poetæ Sententiæ, quæ supersunt.

De Nuptijs.

Vrbanum est non
Conducere vxores, nec coenæ turbam excipere;
Sed nuptias è domesticis confecisse

De Senectute.

Tempus enim me flexit, artifex non sapiens,
Sed omnia reddens infirmiora.
Vitio mihi senectutem, vt magnũ malũ, vertisti;
Quam non assequutus, morte multatur.
Quã omnes expetimus: Si verò venerit aliquãdo,
Angimur: Ita sumus ingrati natura
Viuendi enim nemo, vt senex, cupidus est.

In Thessalorum voracitatem.

Nam sunt tricubita more secta Thessalo.

In Paupertatem.

Non est paupertate miserior vllus
In vita casus. Quamuis enim natura
Studiosus & bonus fueris, sed pauper, ludibrio habeberis.

Finis Sententiarum Cretetis.

PHRYNICI

Comici Vita.

PHRYNICI Atheniensis, veteris Comœdiæ poeta, inter eos numeratus est, qui a Græcis ἐπιδοξότεροι dicti sunt. Docuit autem Olymp. 86. sub Apollodoro principe, vt Suidas ait, σύγχρονος, hoc est, contemporaneus Eupolidis Comici, de quo paulo suprà. Meminit eius Plutarchus in Vitis. De alijs hoc nomine claris viris consulendi sunt in primis Herodotus libro sexto, Thucydides libro octauo, Plato in Minoe, Aelianus de Varia historia.

EX COMOEDIIS PHRYNICI

Sententiæ.

In Alcibiadem.

TE, chariſſime Mercuri, incolumem ſeruas ne, ſi cecideris,
Ipſum decipias, & prabeas calumniandi feneſtram
Alteri huic Diocldi, parato ad aliquid malifaciendum.
Cauebo. Te vero enim nolo (ad nocendum)
Indicium exhibere, aſtuto hoſpiti.

In Niciam.

Erat enim ciuis bonus, id quod bene noui:
Nec humilis abiectusq́; viuebat, vt Nicias.

In Sycophantas, id eſt, calumniatores.

Caueant autem ij nunc à rebus difficilimis.
Habent enim ſtimulum in digitis,
Hominum oſorem, florem iuuentutis: poſt ſuauiter colloquuntur omnibus.
Semper in foro circumeuntes, in ſubſellijs cū ſint;
Illic ijs, quibus cum blandos ſermones conferunt, magnis vulneribus
Inflictis, vbi ſe occultarunt, omnia rident.

Finis ſententiarum Phrynici.

PHERECRATIS COMICI VITA.

PHERECRATES Athenienſis, veteris Comœdiæ poeta, ab Athenæo lib. 6. capit. de ſeruis, & Stephano, de Vrbibus inter eos numeratur, qui ἀττικώτατοι a Græcis dicti ſunt Scripſit Comœdias 17. vt Suidæ videtur. Prænotamenta in Ariſtophanem (quæ videntur a quibuſdam Thomæ Magiſtro adſcripta) decem & octo indicant fuiſſe, quæ & magna ex parte ab Athenæo citantur. Scripſit etiam carmen, quod Pherecratium ab eo dictum eſt. Cratetis æmulus fuit, vicitq; hiſtrio in theatro. Scribit Suidas, eum ſecutum eſſe Alexandrum regem in exercitu. Plato in Protagora ait, eum inſtituiſſe in Lenæo quoſdam efferatos & rudes homines, quibus nec diſciplina fuerit, nec iudicia, neque leges, neque neceſſitas vlla in vita, quæ virtutem colere iubeat. Ex quo loco etiam colligimus, Pherecratem Platonis tempore Athenis claruiſſe. Clemens Alexandrinus lib. 7. Strom. eius etiam meminit, & in ſententiis, loco περὶ θεῶν, integrum eius locum adſcribemus, quia verſuum ratio non eſt integra. Ob eandem cauſam etiam querelam Muſicæ, integrè ex Plutarcho deſumpſimus.

EX COMOEDIIS PHERECRATIS,

Veteris Comœdiæ poetæ, Sententiæ quæ supersunt.

In Alcibiadem.

Non enim vir existens Alcibiades, vt videtur,
Nunc omnium foeminarum vir est.

Vituperium Senectutis.

O' senectus quàm es onerosa hominibus,
Et vbique molesta, non vna solum in re.
Nam quando nihil vltra possumus, neque vale mus,
Tunc primùm nos rectè sapere doces.
Temerè instigasti me, qui tantæ sum ætatis,
Vt multis negocijs me impedia;
Ego enim, ò viri, cum iunior essem,
Putabam quidem, sed nihil sapiebam, verum omnia mihi
In manu erant negocia quæ cogitabam.
Nunc demum verò mihi mentem senectus inserit.

In Seruos.

Nunc enim neque Manes erat, neque Sacis vlli

Seruus,

Seruus, sed ipsis omnia in eadem domo elaboranda erant.
Deinde etiam diluculo cibos capiebant,
Vt pagus ipsis molas attingentibus succineret.

De Dijs, ex Clementis Alexandrini Stromatis.

Porrò autem Comicus quoque ille Pherecrates, lepidè in Comoedia quæ inscribitur Fugitiui fecit Deos cum hominibus expostulare de sacris: quòd, cum Dijs sacrificarent, primùm secerneretur id quod eorum dedecori assignaretur, dicendo; Nam cum femora ad inguina vsque valde circumlinxeritis, & lumbo valde tenues, ipsam deinceps spinam tanquam limatam distribuistis nobis velut canibus. Deinde cum vos vestri inuicem pudeat, multis molis contegitis.

De Caricis.

Sed caricas mihi adfer inflas.

Et paucis interpositis.

Non feres caricas nigras? intelligis?

In Lucernam.

Quale hoc facularum opificium Tyrrhenicum?

In Tenacitatem.

Agrestibus holusculis ac carduis viuere,
Quumq;

Quumq́; vehementer eſuriarint, polypodorum inſtar,
Noctu digitos ſuos intus arrodere.

Ex Plutarchi libro de Muſica.

Pherecrates Comicus introducit Muſicam, muliebri quidem habitu, at corpore fœdè lacerato, verberibuſq́; cæſo. Facit autem Iuſtitiam cladis cauſam ſciſcitantem, ac Muſicam ſic loquentem:

Dicã haud inuita, quandoquidem tibi audiendi,
Ac mihi fandi voluptatem facit ira impetus.
Mihi enim malorum fuit Melanippides
Prima labes: qui, vbi me arripuit,
Duodecim me fidibus eneruam reddidit.
Sed nondum homo iſte ſufficiens erat finis
Meis ærumnis Atticus autem Cineſias execrabilis
Hexharmonios anſpactus ſtrophis inſertans,
Ita me perdidit, nam bifores condens
Dithyrambos niſu ancipiti clypeorum ritu
Dextris ſimilibus leuis mentem irritam fallit.
Verùm nec iſte miſerijs meis modus fuit.
Phrynis iniecto Strobilo quodam
Inflectens, verſansq́; me totam collabefecit,
Quinque neruis duodenas obſtipando harmonias.
Verùm id mihi feciſſe non ſatis erat homini iſti;
Quin, ſi quid deliquiſſet, repetebat vltrò.
Timotheus autem me, ò chariſſima, perfodit,
Et foediſſimè dilacerauit. Quis iſte
Timotheus? Mileſius quidam Pyrrhias
Mala mihi inuexit, hic omnes, quos dico,
Vicit, vicit inquam modos vehens

Forni-

Fornicarios; meq; vbi solam gradientẽ nactus est,
Soluit, dispescitq; in duodenos neruos.
Hexharmonijs, hyperboleis, profanis,
Et niglaris, tanquam brassicas, me totam
Inflectens refersit.

Adagia.

Hei mihi misero, tempestas ingruit.
Sartago stridet barbaris vocabulis.
Dij nobis semper imponunt more Cilicum;
Ingreditur huc inuitus instar perdicis.

De Poculis magnis, quibus veterum mulieres vtebantur.

Deinde finxit viris pocula
Lata parietes non habentia, sed ipsum dumtaxat solum,
Quæ neq; prædita erant concha gustatorijs respondente;
Sed, vt aiunt, foeminis profundos calices, quasi naues onerarias,
Vinolentos rotundos, tenues, in medio ventrosos,
Non inconsideratè, sed ex longo prospectu comparatos
Ipsos, vt sine modo & ratione plurimum vinum ebibatur.
Deinde cum eis viciosum obijcimus, quòd vinum bibant,
Conuiciantur, ac iurant se non ebibere, præter vnum poculum;
Hoc vnum verò præstantius est mille poculis.

Amplius de poculis.

Ex balneo enim redeo nunc languefactus

Siccas

Siccas habens fauces; dabo potum tibi.
Viscosa nimis est mea saliua, per deos.
Nunc afferam cyliscam? nequaquam.
Paruam istam? Nam bilis mihi statim mouetur,
Ex quo pharmacum ex ea bibi.

De Prægustatoribus.

Ne mireris:
Ex prægustatoribus enim sumus. Sed nesciebam, heus tu.

De Arte.

In primis nullus unquam vidit coquum,
Aut piscariam. Cuique enim generi
Artium officia conuenientia sint, oportet.

De Sartagine.

Comedisse dixit apuas ex sartagine.

Et in Persis fabula;

Sub sartaginibus sedentem accendere Phleum.

De Veterum delicijs.

Diuitijs erant illa omnia referta,
In omnibus bonis quouis modo confecta;
Fluuij quidem pulte iureq; nigro pleni,
Per angiportus murmurantes effluebant,
Cum ipsis canicis, & nastorum delicijs;
Vt facile portarent hæc sua sponte orta cibaria,
Percipienda pinguiter, ad mortuorum guttura;
Pulpamenta

Pulpamenta quoque, & feruescentia tucetorum
segmenta
Ad fluuiorum ripas calentia pro ostreis hærebant;
Atque etiam aderant frusta quidem pisciũ assata
Condimentis varijs gnauiter apparata,
Scelidas quoq; crurib integris è propinquo mollis-
sima
Super quadris minutis, et decocta mẽbra extrema
Suauissimum nidorem reddentia, & bouilla inte
stina,
Et latera porculorum deflorata.
Delicatissima adposita erant super amylis plana.
Aderat quoque alica lacte diluta
In latioribus peluibus.
Hei mihi vt enecas me, hic adhuc inhærens,
Cum liceret continuò in tartarũ deuolutũ natare.
Quid sanè dices, reliqua si audias?
Assati enim turdi adhuc feruentes, conditi,
Circũ os aduolabant, supplicantes vt deuorarẽtur,
Myrtis et anemonis suffusi.
Quæ verò summa est pendebant è bonis bona,
Quæ super capite ex nullo nascentia videbantur.
Puella quoque vestimentis tricyphis apta,
Florentes ætate, & rosas decerpentes,
Plenos calices nigri vini odoriferi
Infundibulo hauriebant, vt qui vellet biberet.
Et horum singula si quis edisset, aut bibisset,
Statim deintegro dupla renascebantur.
Quid verò nobis, tuis aratris iugarijs amplius
est opus?
Falcarijs ferrarijs semente, pedamento?
Sua enim sponte per triuia fluuij pinguibus con
dimentis,
Iuris nigri, & achillijs perstrepunt,

Vt

Vt effuse a fontibus diuitiarum fluxuri se exhauriendos prabeant.
Iupiter vero pluens vino Icnapia, testis q uoque balneas dabit,
Deq; tectis riui racemorum, cum ametiscis & nasisis caseo abundantibus,
Deriuabuntur lupini cum fabis & liriopo lamphemonis;
Arbores cum ipsis montibus, intestinis, carnibus assis, ijsq; hoedinis, quasi folijs scaturient,
Et delicatis teuthidijs turdisq; feruentibus.

De Lentibus.

Agedum accumbam; tu verò mensam adferto,
Calicemq;, & quod edam, vt suauius bibam.
En tibi calix, & mensa, & lentes
Ne mihi lentes, quaso per Iouem: non enim mihi placent.
Si enim quis comederit, ore male olet.

Finis sententiarum Pherecratis.

AMPHIDIS
Comici Vita.

AMPHIS Amphicratis filius Atheniensis, veteris Comœdiæ poeta fuit. Vixit autem Platonis ætate, vt Laertius scribit, vnde eum quoque carminibus perstrinxit; quæ loco εἰς πλάτωνα subijciemus. Meminerunt eius Hyginus, & Arati interpres, cuius locum adscribimus integrum: Amphis autem (inquit) Comicus poeta, refert Iouem in Dianæ effigiem transfiguratum, in venatione Calisto oppressisse. Quæ tempore partus plena cum vexaretur, Dianæ culpam indicasse, & iratam Dianam in vrsam transfigurasse. Quæ dum in montibus vagaretur, a quibusdam pastoribus apprehensa, cum puero perducta est ad Lycaonem. Post tempus Lycæi Iouis templo confugiens, cum eam Arcas filius sequeretur, quò eam nefas erat intrare, ab Arcadibus vtrique interfecti sunt. Iupiter autem vtrosque cœli astris intulit, vrsamque eam nominauit. Hæc ille. Citantur quoque Amphidis fabulæ passim apud Stobæum, Athenæum, Pollucem, & alios.

EX COMOEDIIS AMPHIDIS,

Veteris Comędiæ poetæ, Sententiæ quæ ſuperſunt.

In vinum ex Acantho vrbe.

QVias es? dic mihi. Acanthius. Sanè per deos
Vini cum ciuis ſis fortiſſimi, rigidus es,
Et ipſum nomen patriæ cum moribus
Habes, at mores aliorum ciuium non habes.

In Imprudentiam.

Quiſquis, cum obſonium emere liceat, Apollo piſcium
Verorum, radiculas emere deſiderat,
Inſanit. -

In Vitam.

Quiſquis mortalis cùm ſit natus, vita
Nihil iucundum afferre quærit, ac omittit alia,
Vanus eſt; vt quidem mihi, ſapientibusq;
Iudicibus videtur omnib., ac à dijs infortunatus,
.. Bibeq;

Ac

Ac iocare. Vita mortalis est, exiguum in terra
Tempus: mors est immortalis, si quis semel
Emoriatur.

In Agriculturam.

At non aurea res est solitudo?
Est sanè viuendi pater hominibus ager,
Et solus nouit occultare paupertatem.
Vrbs autem theatrum est infelicitate palàm scatens.

In Gingram.

Ego Gingram sapientissimum (iudico).
Quis est Gingras? nouum aliquod inuentum
Nostrum, quòd theatro nunquam ostensum est. Athenis verò vsitatum
In conuiuijs suauissimum. Sed cur non profers
In turbam ipsum? quòd gentem expecto
Nimis contentiosam vt sortiar aliquam. Noui enim
Quòd omnia subuersuri sint applausibus.

De Mulieribus.

Nonnè verò muliere beneuolentior est
Vxore meretrix? multò sanè ac valde meritò.
Illa enim est consuetudine negligens intus manet:
Hæc autem nouit, aut morem gerendo captandum
Hominem esse, aut ad alium abeundum.

In Amorem.

Quid ais tu? istanè mihi persuasurum te sperast

Amantem esse, quisquis honestorum amici
Morum est amans, facie praetermissa;
Insanus est reuera, nec hoc mihi probatur;
Nec pauperem negotia saepe facessentem
Diuitibus nihil ab eo accipere velle.

In Lactucam.

Inter lactucas pessimè perditas,
Quas si quis intra sextumdecimum annum edat,
Et foemina sortiatur consuetudinem,
Totam vt volutetur noctem necesse est, nihilq;
Quod cupit, efficiat, pro obsequio
Manu fricans necessariam fortunam.

In Piscariorum arrogantiam.

Apud Imperatores facilius innumeris
Partibus accedentem oratione digneris,
Responsionemq; rogans accipias, quàm
Apud execrandos piscarios in foro;
Quos si quis roget, accipiens aliquid eorum quae
Venalia habent, (quanti vendent) occultant, sicut Telephus
Primùm cum silentio faciem.--

In Infelicitatem.

Quibus in locis calamitosus quis fuit,
Eò accedere propius nequaquam gaudet.
Quàm malum è malo me semper excipit.

Cora-

Coracinus.

Qui marino vescitur Coracino,
Glauco præsente, is impos mentis censendus est.

In Dolorem.

O' Apollo, quàm morosus est tristitia captus
Homo, ac in rebus omnibus difficilis.
Vbi quis dolet, ibi & animum habet.

In Ebrietatem.

Non est, vt videtur, ebrietatis medicina
Vlla talis, ac cum irruit derepentè
Moeror aliquis Abigit enim vehementer
Delirationes, vt ita raphani quidam videantur.
Bibunt singulis diebus, ac per duos dies
Concutiuntur præ mero temporibus.

In Vinum.

Inest, vt apparet, sermo vino:
Aquam autem bibentes stupidiores esse solent.

De Iureiurando.

Quisquis enim iuranti nihil credit,
Ille met facilè peierare nouit.

In Platonem philosophum.

Atqui bonum istud, quod nancisci cogitas

Te posse, propter hanc, minus certè id scio
Here, quàm bellum illud Platonis bonum.
.. O' Plato
Quàm nihil nouisti, nisi moerorem præ te ferre,
Tanquam cochlea fronte grauiter corrugata.

In Plutum, & meretrices.

Cæcutire mihi diuitiarum deus videtur,
Qui quidem ad hanc non ingreditur:
Sed apud Sinopen, & Lycam, & Nannium,
Aliosq; eiusmodi vitæ laqueos,
Domi manet stupidus, nec egreditur.

De Silentio.

Nihil est quicquam præstantius, quàm tacere.

Pro Artibus.

Non est vllum humani infortunij
Solamen in vita dulcius, quàm ars.
Dum enim disciplinæ animus vacat
Suæ, infortunia præternauigat nescius.

In Bellaria.

.. Iam vbi fortè audiuisti, victum
Molitum posce Palàm consequi licebit,
Ametes, vinum dulce, oua, sesamum,
Vnguentum, coronam, tibicinam, ò Dioscuri,
Nomina duodecim deorum percurristi.

Pru-

Prudentia.

Laudo vitam
Sanè bibacium nostrorum hominum, qui solùm
In fronte mentem habere solent.
Nam quæ perpetuò in collocandis ordine rebus versatur
Prudentia, hoc ipso, quia minutè & crebrò
Omnia examinat, veretur res
Prompto aggredi animo. Quæ verò non perspicuè
Quidnàm ab vnaquaque re consequetur
Ratiocinatur iuuenilia quædam facinora,
Et calida molitur.

Finis sententiarum Amphidis quæ inueniri potuerunt.

HERMIPPI COMICI VITA.

HERMIPPVS Lysidis filius, Athemensis, Myrtili frater, veteris Comœdiæ poeta fuit, sicut & frater Fabulas in vniuersum quadraginta scripsit, vt Suidas, & ex eo Volaterranus affirmat: quarum aliquæ apud Athenæum, Pollucem, & alios citantur. Fuit autem hic Hermippus ἑτερόφταλμος, hoc est, altero captus oculo. Celebratur etiam iambicum ipsius carmen, in quo Musas inuocat, rogatq; vt Bacchus quæ fecerit negotia referat, & vnde nam gentiũ merces suas deuexerit, quæuè vsquam & certis locis laudata proueniunt, colligit. Anapæsticos ipsius in Periclem ex Plutarcho quoq; adscribimus. Hic idem poeta (vt Hyraldo videtur) Aspasiam accusauit, quòd cũ Pericle lenocinium faceret, cũ ingenuas rem cum Periele habituras apud se haberet. Fuerunt autem Hermippi nomine insignes aliquot alij viri, sed in primis celebratur Hermippus Pythagoricus, cuius Iosephus contra Appionem, & Laertius, alijq; meminerunt. De cæteris Hermippis (vt sic dicam) cõsulẽdi sunt, Plutarchus, Suidas, Athenæus, Arnobius contra gentes, Aelianus, Clemens Alexandrinus, Stobæus, Volaterranus, Hyginus, & Gesneri Bibliotheca.

EX COMOEDIIS HERMIPPI

Sententiæ.

GAudeo, cum maritimum exercitum cogo,
Quòd quæ ad corporis nitorem pertinent delicatè habeam;
Coma iuuenili, & rigore brachiorum
Nosti qui vir sit Abydenus.

In Incontinentiam.

Non, per Iouem, inebriari virum decet
Bonum, neque calidis balneis se abluere, quod tu facis.

In Thessalorum voracitatem.

Iupiter autem nullam horum curam habens.
Vnguentorum, formabat mansum Thessalum.

In Leotrophidem.

.. Nunc enim ad paupertatem redacti
Mutilas tibi sacrificant iam buculas,
Leotrophide exiliores & Thaumantide.

In Periclem, anapæstici, eiusdem Hermippi.

Rex Satyrorum, qui hastam gerere recusas;
Qui grandia quidem de bello verba crepas,
At Teletis animum præfers.
Quid gladius, quem cos dura ad bellum parat,
Trepidat, morsu ardente Cleonis fractus?

Prudentia.

Loquelam quidem & faciem pecudis mihi
Videris habere; at intus nihil differs à
Prudente dracone.

Sententiarum Hermippi Finis.

HIPPARCHI Comici Vita.

HIPPARCHVS veteris quoq; Comœdiæ poeta fuit. Fabulas autem plerasque conscripsit, vt Suidas ait, περὶ γάμων, hoc est, de nuptijs & mulieribus. Plura de eo non extant. Quæ verò Athenæus habet, ea in medium hic adduximus. Digna enim visa sunt, vt huic veterum reliquiarum thesauro inferrentur. Plures claros hoc nomine fuisse viros, apud authores videre est. De quibus, quia ad nostrum institutum non faciunt, cum Comici non sint, dicere supersedemus. Si verò volet lector, consulet Herodotum in Terpsichore: Thucydidem lib. 1. & 6. belli Peloponensiaci. Aelianum in Historia animalium, & Varia historia, Suidam, Athenæum, Volaterranum, Plutarchum de sera numinis vindicta: Plinium lib. 2. & 35. sub finem: Pausaniam in Atticis, non procul à principio: Platonem in Hipparcho, Stobæum, Seruium, & alios.

EX HIPPARCHI COMOEDIIS Sententiæ.

NVm auscultas huic militi? cuius non
Satis bene argentum ego noui ipse:
Sed vel tapetum vnum exoptabilem
Persas habentem, & grypas quasdam perditas
Persarum, ad coruos mastigia,
Et condus, & refrigerando vas vino aptum, &
cymbion.

In Labronium.

Hac auis herclè est Labronius,
Poculum ferens ducentorum aureorum:
O' nobilis amica Labronij.

Pro Artibus.

Multò est omnium res preciosissima
Omnibus hominibus ad viuendum ars.
Nam alia & bellum & mutationes
Fortuna consumunt: ars verò manet incolumnis.

Finis Sententiarum Hipparchi.

THEOPOMPI Comici Vita.

THEOPOMPVS Theodecti, siue Theodori filius, Atheniẽsis, veteris Comędię poeta, floruit post Aristophanis tempora: in ijs quæ ad disciplinas pertinẽt, prudens & peritus: sed tabe quadam naria & destillatione malè affectus, a qua cum liberatus esset, rursus ad fabulas scriPtitandas redijt, cuius rei & marmor in eius patria, cum inscriptione ostendebatur, quæ etiam apud Suidam legitur. Meminerunt eius Athenæus quoque & Pollux. Hephæstion verò, ab hoc carmen Theopompeion denominatum ait. Laertius in Platonem quoque inuectum scribit, cuius versus infrà ponemus. Plutarchus in vita Lysandri, Theopompum Comicum ληρεῖν: hoc est, delirare visum esse ait, cũ perstringit Lacedæmonios, quòd cauponarum & vina vendentium mulierum eos persimiles dixit: quia Græciæ libertatis gustum propinarint, cæterum in vinum acetum instillarunt. Non multò enim post Lysandri victoriam, quæ quasi prægustatio visa libertatis erat, nulli administrandarum rerum authoritas permissa fuit. Hæc Plutarchus. Fulgentius in Mythologico: Theo-

pompus, inquit, in Cypriaco carmine, & Hellanicus in Dios philologia, quam detripsit, ait Iunonem a Ioue vinctam catenis aureis, & degrauatam incudibus ferreis. De alijs hoc nomine claris viris, qui vult, videat Plutarchum in Themistocle, & Agesiao, item in Apophthegmatibus, in Politicis, in libro de Doctrina principum; Xenophontem lib. 2. Rerum Græcarum. Marcellinum Græcum in vita Thucididis. Aelianum in Varia, & Animalium historia. Plinium lib. 2. 3. 7. & 31. Naturalis historiæ. Athenæum, & Stobæum. Pausaniam in Laconicis, & Messeniacis.

EX COMOEDIIS THEOPOMPI,

Sententiæ quæ superſunt.

In Panem.

P*Anis quidem res eſt ſuauis: at impoſtura cum adeſt*
Panibus intincta, malus fit.

In Caricas.

Maza, placenta, carica Tithraſiæ.

Adulator.

Euripidisq́; prandium non male habebat,
Eum qui de alienis victaret, eſſe fortunatum.

De Lepaſta poculi genere.

.. Lepaſta frequentiſſima
Merum boni ebibebat dæmonis,
Clamandoq́; totum oppidum concurrere facit.

In Leotrophidem.

.. Leotrophides ille trimeter.
Colore viuido et venuſtus ſcilicet, inſtar cadaueri.

Ad

Ad qnendam adolescentulum.

Desine taxillis ludere adolescentule, ac blitis
Vtitor; caterum aluum duram habes,
Saxatiles pisciculot deuora
Mustum ad bene consultandum optimum est;
Id tibi pares, & facultatibus eris expeditior.

In Platonem.

Vnum enim ne vnum quidem est;
Sed vix duo sunt vnum, vt ait Plato.

In Parcitatem.

Si quis cum plurimorum bonorum possessor sit,
Cum moerore ipse vitam degat,
Omnium qui sunt, & futuri sunt,
Miserrimus est.

Sententiarum Theopompi Finis.

PHILONIDIS
COMICI VITA.

PHILONIDES Atheniensis, veteris Comœdiæ poeta, antequam Comœdias ſcriberet, fullo fuit, & proinde ineptus ac rudis: ſi modò Ariſtophani credimus, qui eum ideo carpit. Proceræ etiam ſtaturæ fuiſſe ſcribitur, quæ iracundis plerunque, & leuioribus (vt ait Gyraldus) attribui ſolet. Et idcirco in inſanos & indoctos prouerbium factum eſt, παιδοτέτερος φιλωνίδες τεῦ μελιτέως, hoc eſt, indoctior Philonide Meleteo. Quod extat apud Suidam, Apoſtolium Byzantium, & L. Gyraldum. Meminerunt etiam eius Athenæus & Stobæus. Vnde verſus ipſius collegimus.

EX COMOEDIIS PHILONIDIS Sententiæ.

De Breuitate in dicendo.

DE omnibus contendis, licet ne vnum intelligas.
Literas oportet discere, & prudentem esse.
Non si quis multa dixerit admiratione dignus erit:
Sed qui pauca pronunciarit, si fuerint vtilia.

De Iustitia.

Non is qui legem metuit, dicendus est timidus.
Fortitudo in pugna aduersus hostes æstimatur.
A' iusto autem etiam superari pulchrum est.
Papæ, quàm valde pulchrum est vincere iure;
Iniustè autem, quàm vbique malum est.
Et lingua iactabunda, & inuida, quàm non inuidere.
Quanto peiora sunt in hominib. indecẽter elatis.

De Taciturnitate.

Satius est tacere quàm temerè loqui.

Finis carminum Philonidis.

ALEXIDIS Comici Vita.

ALEXIS Thurius poeta, vt quidam volunt, mediæ Comœdiæ, Menandri nostri patruus fuit, si πάτρως illud apud Suidam non auunculum significat, vt quorundam est sententia. Suidas, nisi fallor, Comœdias eum scripsisse ait 245. quæ omnes interciderunt, præter istas sententias, quas ex plurimis authoribus in vnum corpusculum hoc congerere placuit. Gellius vnam Alexidis Comœdiam de Pythagoræ vita scriptam affirmat. Platonem philosophum ab Alexide traduci in fabulis Ancylione, Meropide, Olympiodoro, Parasito, author est Diogenes Laertius. Idem etiam obseruauit, Alexin a Platone adamatum fuisse, & in eius rei testimonium adducit Epigramma Platonis in Alexin & Phædrum; quod Alexidis scriptis annexuimus in fine. Vitruuius sub exordium libri sexti sic scribit: Alexis ait Athenienses ideo oportere laudari, quòd omnium Græcorum leges cogunt parentes alia liberis: Atheniensium non omnes, nisi eos qui liberos artibus erudijssent. Plutarchus præcepta voluptatis ab Alexide tradita scribit, cuius versus referuntur a nobis loco περὶ ἡδονῆς. Idem Alexis a Samio Lynceo apud

apud Atheneum lib. 8 ὀψοφάγος dicitur, id est, gulosus: & ideo malè a quibusdam audiuit. Quòd ad extremam senectutem peruenerit, indicat eius apophthegma quod ex Aristotele & Stobeo loco περὶ γήρως insertum est. De morte verò sic scribit Plutarchus in Commentario. εἰ πρεσβυτέρῳ πολιτευτέον. An seni sit accedendum ad Rempublicam;

φιλήμονα δὲ τὸν κωμικὸν, καὶ ἄλεξιν ἐπὶ τῆς σκηνῆς ἀγωνιζομένους καὶ στεφανουμένους ὁ θάνατος κατέλαβε,

EX COMOEDIIS ALEXIDIS

Sententiæ, quæ supersunt.

Aenigma.

NOn mortalis, nec immortalis, sed habens quoddam
Temperamentum utriusq; ut neque hominis parte.
Neque Dei uiuat, sed nascatur semper.
Ex nouo, intereatq; nunc præsens, nunc
Inuisibilis Cunctis autem mortalib. non ignotus.
Ludere me gaudes mulier, ænigmatibus
Sanè simplicia & manifesta me proferre fateor.
Quis igitur puer iste est, tanta vi præditus?
Somnus, puella, est qui mortalium laboribus finem imponit.

De Incontinentia & bibacitate.

Videris mihi vir esse Cyrenæus.
Diodorus ille perditione dignus annis duobus
In pilam coniecit paternam hæreditatem;
Ita violenter cuncta coegit.

Pedeten-

Pedetentim quidem per sobolem, pedetentim ais,
Epicharides ille paruulus quinque diebus
Ad pilam redegit paternam hæreditatem,
Ita violenter & celeriter conglobauit.
Si antequam inebriaremur, crapula
Nobis adesset, neque quis vinum aliquando
Plus admitteret, quàm par sit. Nunc verò
Supplicium ebrietatis non expectantes
Venturum, promptè meros calices ebibimus.
Iam verò nonnè malorum omnium est ebrietas
Maximum hominibus, & nocentissimum?
Heri subbibisti, ideo nunc crapula vexaris.
Obdormito, ac leuaberis; deinde tibi dat
Radiculam quispiam elixam.
Intelligas autem, quantum hominibus malum sit
Venter, quæ doceat, quanta facias, cogat;
Si quis de corpore partem hanc ademerit,
Nec iniuriam, nec contumeliam volens cõmittet.
Nunc autẽ eius causa omnia difficilia redduntur,
Multum vinum multa facit peccare.

De Patientia.

Sapientis viri est, fortunam boni consulere.
Infortunia enim
Illos, qui non repugnant, facillimè ferre video.

De Ocio.

Quisquis habens vescitur
Continuò, facitq; cibis
Nihil dignum, sed huc illuc vagatur, ocium
Agitans, infensissimum est vitæ malum.

In Vitam.

..Vltimum enim
Vita cursum transigens viuere cupio.

In Bacchum.

Nemo homo amans vini malus est.
Bacchus enim domitor versari non gaudet
Cum viris improbis, neque cum imperita vita.

Quòd non bonum sit vxorem ducere.

Quis quaso sanus & mente constans, vnquã audet
Vxorem ducere, cum vitam antè multo suauius egerit?
An non satius est mente pradito
Infamem potius fieri, quàm vxorem ducere,
Prasertim pauperi? Infames enim non sinit
Magistratum nactos lex imperare vicinis.
At cum vxorem duxeris, nec tui quidem ipsius dominus.
Sis licet, sed poenas solum & litigia
Quotidiana vita possidemus.

Vitup: i.im mulierum.

Non est impudentior vlla bestia
Mulieres ex me ipso coniecturam facio.
Non est murus, nec pecunia,
Nec quicquam aliud ad custodiendum tam difficile, vt mulier.
O' miseros, qui vendita

Vita

Vita libertate & delicijs,
Vxorum serui viuimus pro liberis.
Ac deinde accepta dote non ne multam patimur
Amaram quidem & plenam muliebri bile?
Nam ira virorum comparata cum illa, mel est.
Siquidem viri iniuriam passi condonant:
Ha verè iniuriam facientes etiamnum accusant.
Inchoant quibus non erat opus; quibus erat opus,
Negligunt, peierant; nec vno malo
Prædita sunt, ac se semper fatigatas aiunt.

Senectutis laus.

Similimus homo vino natura
Quodam modo est. Vinum enim nouum,
Item vir, deferbeat necesse est
Primùm, exolescat, & vini feruorem perdat, rursum
Asperum fiat; tum vbi ætate præterijt quæ dico
Hæc omnia, exhausitque superiorem
Hanc amentiam extantem aliquando
Potabile fiat, & rursum restituatur,
Dulceque cunctis in posterum permaneat.

Vituperium Senectutis.

Iam enim vita mea ad vesperam vergit.
Nihil videtur similitudinis esse natura homini cum vino.
Nam ille senescens iniucundus euadit;
Vinum verò vetustissimum quærimus.
Alterum enim mordicat alterũ nos hilares facit,
Alexis poeta Comicus cum quidam Eum senem iam vidisset ægrè incedentem, & interrogasset, quid agis? ait; Per otium morior.

In Seruitutem.

At multitudinem intuens, similes famulos
Cernes ingenijs dominorum.
Moribus enim obsequentibus etiam
Se accommodans horum natura commiscetur.

In Continentiam.

Ego quidem, quibus opus est, habere gaudeo;
Superuacanea odi. Nam in exuperantia rerum
Delectatio non est, luxus inest.
Superuacanea odi: nam exuperantibus
Sumptus adest, voluptas non item quæpiam.
Quàm iucundum, quod moderatum est? nec nimis plenus
Abeo nunc, neque inanis, sed contentus meipso.

In Amorem.

- Quisquis obstinato animo corporum amore
Tenetur, nec aliam agnoscit rationem
Voluptatis, non est amicorum amicus,
Sed amorem palàm afficit iniuria, mortalis deũ,
Infidum eum omnibus modis faciens.
Non est igitur hominum pædagogus
Amore quispiam alius diligentior.
Itaq; maximus deorum est Amor,
Et longe omnium præstantissimus.
Nemo enim ita valde parcus est
Homo, nec ita moribus exquisitis,
Qui non huic partem deo concedat.
I' Piræo proficiscenti, præ malis

Et

Et animi perplexitate, philosophari mihi venit in mentem.
Ac mihi videntur ignorare pictores
Quis sit amor; & vt paucis absoluam, quotquot
Dæmonis huius imagines conficiant.
Est enim non fœmina, non item masculus,
Neque deus, neque homo, neque stupidus,
Neque rursum intelligens: sed connexus
Vndecunq; sub vna forma multas species ferens:
Audacia viri, ignauia
Fœminæ, amentia insanientis, ratio
Prudentis, vehementia feræ, labor
Adamantis, æmulatio & contentio dæmonis.
Atque per Mineruam & deos
Nescio quid sit; attamen habet nonnihil
Talè proximè, præterquam de nomine,
-- Fertur sermo
Apud Sophistas quòd non volet deus
Cupido, sed amantes. Ast causam habet
Ille aliter: hunc autem ignorantes
Pictores, alas habentem ipsum pingunt.

De Meretricibus, ex Clementis Pædagogo lib. 3.

-- Struunt quoque
Omnibus insidias; at cũ aliquando reb abundãt,
Assumunt nouas meretrices, artem primùm experientes;
Statim eas affingunt, vt iam neque mores,
Neque vultus quos antea, præ se ferant amplius.
Est quæpiam fortè pusilla? super soleis
Assuitur grãdis est aliqua? subselliũ tenue gestat,
Capiteq; in humerum demissa procedit,

Id

Id de lõgitudine demitur, non habet altera nates:
Eam suainduunt consutis, vt nates generosas
Exclament videntes, aluum habent quadam
Ad pectus, eis qualia Comici habent
Recta adhibentes, talia scilicet earum aluum
Quasi contis quibusdam his vlterius abducunt.
Rufa supercilia habet quapiam? fuligine pingunt.
Contigit ei vt sit nigra? cerusa huic medentur impoſita.
Albicat alia plus quàm par est? paderote confricatur.
Pulchrum habet quid in corpore? id nudum monstratur.
Elegantes dentes natura dedit? necessariò ridendum est,
Vt qui spectant præsentes, contemplentur quàm venustum os gestet:
Sin risu minimè gaudet, continuos dies.
Intus, quemadmodum coqui, quæ passim sunt exposita,
Cum emunt caprarum caluas, particulam ligni
Myrtei habent tenuem rectam inter labra:
Vt tempore hiantes, velint nolint,
Visurus sis.

Quòd inconstans sit hominum prosperitas.

Tametsi quis sit beatus vt videtur, expectandum
Est semper quippiam, & fortuna minimè fidendum.
Vita res est tesserarum aleæ similis.
Non eadem semper cadunt: neque vita
Eadem permanet figura, sed mutationes habet.

Fortuna utentes prospera honestè ac preclarè viuant necesse est

Patefaciantq; diuina dona.

Nã qui cuipiam beneficia largitus est, hunc eorũ

Quæ largitus est ipse censet gratiam quandam

Sibi habere, at occultantes &

Se mediocri fortuna uti profitentes, eum inutiles cernit,

Illiberaliterq; viuentes, temporis quodã momento

Repetitis quæ olim dedit, adimit.

In Voluptatem.

Alterius vitæ cupiebam facere periculum,

Quam omnes consueuerunt humidam aepellare.

Tres in Ceramico obambulans dies,

Magistros eius quam dico vitæ reperi,

Fermè triginta ex vna officina.

Voluptates congerere sapientem decet.

Proinde tres sunt, quæ vim pariant

Verè vtilem futuram vitæ:

Bibere videlicet, epulari & veneri operam dare.

Aliæ omnes voluptates meritò adiecticiæ vocãtur.

Voluptatem, quæ incommodum sit allatura, fuge.

Nescitis, in plurimis artium

Non architectum dominum voluptatis

Vnum constitutum, sed vtentium

Confert aliquid portio, si bene vtantur.

Exempli causa (oportet enim hospes a me intelligat)

Obsonator hic apparet probè duntaxat

Oportet. aliud nihil, itaq; si contingat,

Vt qui hæc esurus est ac diiudicaturus,

Tempore veniat, artem iuuit:

Sin

Sin tardet post statum temporis momentum,
Vt sint vel iam assata rursum calfacienda,
Vel non assata statim conficienda,
Perdit artis omnem voluptatem.
Ita ingeniose obsonia parare
In Sicilia ipse didici, vt
Conuiuas faciam in patellas inferre
Nonnunquam dentes præ voluptate.
Lugebit enim, per Iouem aio sapienter
Hæc administrabo & politè, & variè,
Ita enim ipse obsonium paro, vt
Coenantes in posterùm inijciant faciam
Nonnunquam dentes præ voluptate.
Omnium autem condituras, & condiendi ratio-
nes
Eorum paratus sum oratione explicare,
Gratis prædocere, si quis addiscere velit.

De Morte.

Felix ego per Iouem
Olympium, & Mineruam, non quòd
In nuptijs, viri satiabor,
Sed quod disrumpar, si Deus velit.
Hac verò morte mihi mori contingat.

In Belluas marinas.

Semper & viuentes & mortuæ
Maris aduersaria sunt belluæ.
Si enim nauigium euertatur: tum, vt fit,
De captiuo quopiam deuorant statim.
Ipsiq́ cum capti sunt a piscatoribus
Mortui emptores atterunt.

Nam opibus sunt nobis venales:
Ac qui vendit, pauper statim aufugit.

De Pisciculis.

In primis ostrea apud Nereum quendam intuitus,
Senem fucis indutum,
Acecpi, ac erinaceos, nam initio
Coena eleganter apparata hac apponuntur.
His exolutus iacentibus pisciculis
Exiguis metu trementibus, quid persuadent
Vt confidant iubebit mea causa? vbi vnum
Cum iussissem vt offenderet, emi glaucũ magnũ.
Deinde torpedinem cepi, prouidens
Ne vxore inferente digitos
Delicatos, a spina cuiusquam horum lædatur.
Emi quoq; sartagine frigendas phycidas, psettas quasdam,
Squillam, phycam, gobium, percam, sparum,
Fecitq; vt is esset pauone magis varius;
Caruunculas, pediculos rostra quadam, auriculas,
Suillum iecusculum obuolutum.
Erubescit enim colore pallens;
His coquus presto non est, non videbitur.

In Piscarios.

Ita me amet Minerua, verùm ego sum admiratus
Qui fiat vt piscarij non diuites
Omnes sint, quum regia accipiant
Ipsi tributa: tantum non enim decimant
Facultates in vrbibus assidentes:
Quin totas auferunt diebus singulis.
Imperatores supercilia cum intueor

Tollentes,

Tollentes, graue eos arbitror facere
Nihili ac miror in maiori honore & existimatione haberi
A' ciuitate, quasi alijs magis sapiant:
Piscarios verò male perdendos
Cùm cerno deorsum intuentes, supercilia autem
Efferentes supra ceruicem, enecor.
Ac si roges, quanti cestreos
Vendis? geminos decem obolis, inquit.
Carè vendis,
Acciperesnè octo? siquidem vendas alterum.
Amice cape, nec illude quibus non est illudendum.
Hinc facesse.
Hac non ipso amariora sunt felle?

In Callimedontem Rhetorem

Pro patria vel quilibet mori optat;
Pro metra autem locusta Callimedon.
Decreto constitutum esse cetarijs,
Vt aiunt, vt aream Callimedontis imaginem
In Quinquatrijs apponant piscibus,
Quæ in dextra parte locustæ faciẽ repræsentaret;
Tanquam ipse sit illius artis piscariæ
Seruator, alij verò præsens sint noxa.

In Assentationem.

Ad coenam venit Corinthum Charephon
Nõ vocatus: iã enim prætergressus Pontũ aduolat,
Ita sanè alienis vesci suaue est.
Assentatoris vita exiguo tempore floret;
Nemo enim cano parasito gaudet
Semper Charephon quandam reperit technam,

Atq; nunc coenas asymbolas comparat.
Vbi enim est tessera mercenaria
Coquis, statim summo mane
Adstat eò profectus; ac si viderit conductum
Ad epulatum, ex coquo sciscitatus,
Quis sit qui det epulum, ianuam dehiscentem
Si deprehendat, primus ingreditur.
Vocant eum omnes iuniores
Parasitum minutum; is verò nihil curat.
Coenat autem Telephus tacens, innuens solum
Rogantibus quippiam, vt sæpenumero
Qui eum appellarit, Samothracia precetur,
Vt spirare desinat, & quiescat aliquando.

De Patellis.

Imprudens cum adessem, vbi negociũ requirebat,
Ad manum datus est, venit qui mensam habebat,
In qua erant apposita, non caseus, nec oliuarum genera,
Nec nidoris plus nobis expirantes
Paropsides & nugæ; sed apposita est
Superba tempestiuitates olens patella,
Quod erat poli huius vniuersi hemisphærium.
Omnia enim inerant illic bona,
Pisces, hoedi; percurrebat hos scorpius,
Submonstrabat corpore medium annum, stellas.
Manus admouebamus; tum mecum colloquens
Simul & annuens occupabatur, ac omnia agens
In me incurrit, tandem non destiti, donec
Patellam perfodiens reddiderim cribrum.

In Tristitiam.

Tristitia nonnihil cum insania commune habet.

Tristitia

Tristitia plus quàm mediocres
Exturbare mentem solent.

De Nauigatione.

Quisquis mare nauigat, is aut insanit,
Aut mendicus est, aut mori cupit. Ex his tribus
Non fieri potest, quin vnum saltem verum sit.

In Iuuentutem.

Tempestas verò adolescentulus est amicis.

In Legem ab Aristonico latam.

Non extitit præstantior legislator diuite
Aristonico. Legem enim hoc tempore fert,
Vt piscariorum quisquis vendens
Piscem subindicarit, deinde minori tradiderit
Quàm dixit precio, in carcerem
Is statim abduceretur, vt metuentes
Aequo precio vendere velint, aut vesperi
Putidos omnes domum reportent.
Hincq; fiat, vt & vetula & senex & puellus,
Missus, omnes commodè emant.

Ac progressus ait:

Non extitit secundum Solonem melior vllus
Aristonico legislator, nam vt alias
Multas tulit leges, variasq;,
Ac nunc nouam edit legem quandam
Auream, ne amplius vendiderint sedentes
Piscarij, sed perpetuò stantes.

Deinde anno proximo ait, se scripturum, vt pendentes:
Ac celerius dimittunt emptores,
E machina quasi dij se mouentes.

In Rasos.

- Picatum si aliquem vides, aut
Rasum, alterutrum horum facturus est;
Aut enim militare velle mihi videtur,
Et quæ barba aduersa sunt facere;
Aut ingens aliquod ei contigisse malum.
Quid enim capilli nos molestant, obsecrò,
Ob quos quilibet nostrum vir videtur?
Nisi quid his putes fecisse contrarium.

Iureiurando.

Firmum est iuramentum, si solum annuero.
Sapientem non oportet iurantibus,
Sed ipsis rebus semper habere fidem.

Disciplina.

-- Non ambio prudentiam, sed id duntaxat, vt differere firmiter ore de literis possim.
Herus enim meus literis aliquando
Dedit operam cum adolescentulus esset, ac philosophiæ
Totus incubuit. Cyrenæus erat præceptor,
Vt ait, Aristippus sophista ingeniosus,
Vel potius primùm omnium, qui tum erant, locum obtinens,

Intem-

Intemperantiaq; omnes qui fuerant exuperans:
Cui talento dato discipulus fit
Herus meus, & artem nullam planè
Didicit, sed condituram comprehendit.

Adagium.

Mensam adornauit, postea adferens
Plaustra bonorum.

Paupertatis laus.

Nam bonorum postremum diuitias censeto.
Res est enim eorum quæ possidemus inconstantissima;
Alia verò cum mediocribus & moderatis permanent.

In Amictum.

Vnum enim id censeo illiberalis & sordidi
Esse, incedere indecorè per vias,
Cùm honestè liceat; cuius rei neque finem exigit
Quisquam a nobis, neque ab ijs qui concedunt vt ab alijs
Accipiamus. At bene vtentibus adfert
Gloria molem quandam, cernentibus voluptatem
Vitæ ornamentum; tale præmium
Quis non sibi comparet, qui mente præditus sit?

In Platonem philosophum.

In tempore venis tu quidem: verùm ego tristis
Sursum ac deorsum obambulans, vt Plato,
Nihil sapientiæ inueni, sed crura lasso.

Ignota nobis narras, planè cursitans
Instar Platonis, & cognosces nitrum & cepe.
Corpus quidem meum mortale exangue fiebat;
Quod verò in me immortale erat, in auram eua-
nuit.
Num hæc ex Platonis schola?
Aut cum Platone solitarium loqui.

Vituperium diuitiarum.

Animam habere diuitem oportet. Pecuniæ autē
Hæ nihil quàm ostentatio sunt, & velamentum
vitæ.

In Pythagoricos.

Pythagrici enim, vt audimus,
Nec obsonio vescuntur, nec alio quopiam
Animato, vinumq́ꝫ soli non bibunt.
Epicharides quidem canes deuorat
E' Pythagoreis vnus, verumtamen occisos:
Nam tum non amplius est quiddam animatum.

In Simum quendam.

.. Librum
Hinc quemcunque velis accedens, cape:
Deinde tu legito, diligenter perquirens
Ex inscriptionibus. & sensim, & pedetentim.
Orpheus illic est, Hesiodus, tragœdia,
Choerillus, Homerus, Epicharmus, commentarij
Varij; ita patefaciens, natura
Quò maximè feratur. Hunc accipio.
Ostende primum quid sit, Ciborum conditura,
Vt inquit inscriptio. Philosophus es aliquis
Videlicet,

Videlicet, qui prætermissis tot scriptis,
Simi artem accepisti. Simus autem quis est?
Valde homo generosus ad tragoediam
Nunc irruit, & histrionum longè
Optimus est. Coquus, vt videtur
Vtentibus, coquorum verò histrio.

Cauillationes.

Solent enim & longa consuetudo,
Et compotationes multæ & quotidianæ
Ludibrium generare: quod longè plus moeroris quàm voluptatis adfert.
Nam maledicendi hinc initium oritur; ac si semel male dixeris,
Iam statim vicissim audis; ita reliquum est conuiciari:
Deinde vapulare subit, & debacchari, hæc enim
Natura ita fieri solent; ac eatenus multandum fuerat.

Ad Solonem legislatorem, de continentia & incontinentia.

Festiuum sanè id est apud nos, Solon,
Athenis, dextreq; inuentum.
Quidnàm? vt in conuiuijs non bibatur
Merum, non enim facile, vendunt enim
In plaustris etiam dilutum:
Non vt quid lucrentur, sed vt emptoribus
Prouideant, capita salua habeant
A' crapula, hic scilicet est, vides, Græcanicus
Potus, modicis vtens poculis,

Colloqui & nugari conuiuas secum lubentes.
Alter enim modus, lauacrum est, non potus,
Hydrijs bibere & cadis; atque etiam mors est.

In Calumniatores.

Sycophanta non meritò nomen
Vitijs est positum.
Debebat enim, quisquis bonus & iucundus vir
Syca, id est ficus apponit, eius significare mores.
At nunc cum iucundum cum vitio iunctum sit,
Dubitandi occasionem præbuit; quam ob rem ita habet.

De Liberis.

Indignum censui matrem relinquere,
Quin primam seruare volui, nam sapientibus
Diuina maiora nunquam sunt matre.
Vnde primus ille non imperitus,
Aedem matris consecrauit, non clarè designans
Cuius esset, sed coniectandam rem ex nomine sinens.

In Artem.

Cùm videris priuatum virum solum edentem,
Aut poetarum cantus & numeros non desiderantem;
Illum priuatum, vitæ mediam partem
Perdidisse censeto; hunc artis
Tantundem, vtrique verò vix vitã vllam degũt.
Multa bona dent dij Demetrio,
Et legislator, quòd eos qui dicendi,
Vt aiunt, facultates tradunt iuuenibus,
Ad coruos abire iusserint ex Attica.

De

De Bellarijs.

Qui primus reperit bellaria, elegans fuit:
Conuiuij enim moram hoc modo reperit,
Ac ne vnquam maxillæ essent ociosæ.

In Fortunam.

Fieri non potest, vt fortuna mentem habeat.
Nullus enim vnquam talis fortunatus esset.
Nisi, cum homo sim, humanis fortunis
Me accommodem, desipere videbor.

In Somnum.

Quantum est infortunium ante coenam cubare?
Neque enim somnus vtique quenquam complectatur:
Nec est qui vsquam dicat, addiscamus.
Mens enim mensæ propinqua est.

Medicamentum.

Pinnas, carabum,
Bulbos cochleas, cerycas, oua, acrocolia,
Totidem his inueniat quis medicamenta
Amanti meretrices alia vtiliora?

De Laborandi assiduitate.

Omnia quæsita reperiuntur,
Nisi ante tempus deficias, aut laborem fugias.
Postquam enim inuenerunt homines nonnulli

Partem

Partem quandam diuinarum rerum, tanto loci interuallo
Distantes astrorum ortus, occasus conuersiones,
Solis defectum, quid rerum communium &
Cognatarum possit hominem effugere?
Laborantem pariter Deus adiuuat.

Quod etiam niues bibere soliti fuerint antiqui.

An non laboriosa planta homo est,
Quàm pluribus sibi contrarijs rebus vtens?
Amamus aliena, nobis apta spernimus;
Nihil possidentes, ijs quæ nostra sunt, abundamus.
Tributa ferentes, non nisi perperam ferimus,
Cibi Deliciarum verò singulis diebus rursus
Optamus placenta vt adsit candida.
Et illi conficimus ius nigrum.
Colores verò pulchros vt tinctori paramus,
Et ad bibendum niues non accingimus.
Et ni cuncta sint calentia, distrahimus.
Vinum quidem acutum quærimus,
Et abyrtacis debacchamur.
Nunquid quod a multis sapientibus dicitur, verum est?
Optimum semper est non nasci,
Aut vbi natus es, quàm celerrimè finem habere.

Sententiarum Alexidis finis.

Sunt & hæc Alexidis, licet non admodum ſententioſa.

FAmelicus homo eſt, quiduis dicit.
Eſurio enim; id certò ſcias.
- Et quid nobis opus
Amplius eos recenſere, qui ficus vbiq;
In cratibus vendunt? infernè quidem
Duras ficus & vicioſas ſemper
Ponunt, supernè verò molles & pulchras.
Deinde quiſpiam dat, quaſi tales emat,
Precium; hic verò in marſupiũ pecunia deuoluta
Caprifici fructus tradit, qui ficus ſe vendere iurabat.
Qui primus dixit, nullum ſapientem
Animato quoquam veſci, ſapiens is erat.
Ego enim nunc redeo è foro, nullo empto
Animato, piſces coemi mortuos
Magnos, carunculas agni ad veſcendum pinguis
Non viuentes nõ enim fiat, quid aliud? profectò
Deceptiunculam perſpicuam coniectaui, horum ſi
Monſtrarit quis aut voce vllum, aut animo præditum,
Me iniquum eſſe confitebor, & legem violare,
Attamen reputare mecum volo,
Aſſidens hic quæ coemi obſonia,
Simulq; diſponere quid primum ferendum,

Quoq; modo vnumquodque mihi condiendum.
Salsamentum hoc tempestiuum primum est:
Vnius oboli id est; abluendum est mihi probè,
Deinde in ollula insperso condimentorũ paululo,
Imposito frusto, albo vino infuso,
Oleum dispersi; tum decoquens
Medullam detraxi, cum silphio mitificassim.
Prius si flauerit aquilo vel auster
In mari, splendido pisce non liceat
Vlli vesci; at nunc præter flatus
Hosce, malus quoq; accessit tertius hyems.
Nam cùm procellam irruisse vehementius cõtigit,
In foro qui obsonium vendat abest,
Auferens quicquid ceperat; vt sit
Cum oleribus in posterum nobis luctandum.
Id enim hoc tibi tempore est,
Athenis bellis familiare:
Omnes statim saltant, si vini duntaxat
Odorem senserint. Rem vulgarem dicis; an
Compareas, in conuiuium ingressus repentè,
Ac imberbibus fortassis quapiam insit
Gratia? at certè cùm præstigiatorem Theodotum,
Aut Paramasyntem videro impurum,
Candida labefactantem, Ab allumq; simul
Iucundissimum, eum ligno affixerim
Arreptum? --
Pythagorismi & disputationes
Minutæ, ac solicitudines aculeatæ,
Nutriunt illos; hæc autem quotidiana,
Panis purus vnus singulis, poculum
Aquæ datur, totidemq; hactenus. Carceri man cipati
Viuendi rationem dicis. Omnes hi quidem sapientes.

Degunt,

Degunt, ac talia miserè patiuntur.
Alij cum alijs deliciantur nescis
Melanippidem sodalem esse ac Phaonem,
Phyromachum & Phanum? qui quinto
Quoq; die in coenam absumunt farinæ heminam
vnam?

In Alexin Platonis philosophi epigramma.

Nunc quoniam nihil est quoquò se verterit omnis,
Solum quod pulcher visus Alexis ait.
Quid mi anime os canibus prodis? mox inde molestus
Detrectas, Phædrum siccine perdidimus?

Omnium, quæ de Alexidis scriptis superesse inuenta sunt, finis.

ANTIPHANIS COMICI VITA.

ANTIPHANES Smyrnæus, vel, vt alij volunt, Cianus, vt verò Dionysius, Rhodius fuit, mediæ Comœdiæ poeta: & ex seruorum genere, natus creditur nonagesima tertia Olympiade, circiter. Patrem habuit Demophanem, vel secundum quosdam Stephanum, matrem Oenoen. Innumerabiles autem Comędias ferè scripsisse (quidam 300. & 65. alij 290. fuisse tradũt) atque ex his omnibus ter decies vicisse proditur. Filium habuit Stephanum, & ipsum Comicum, cuius fabulæ etiam commendantur. In Chio mortuum esse Antiphanem, annos natum 74. eiusq́; ossa Athenas tralata, apud quosdam legitur. Fuit ante hũc etiam Antiphanes Caristius inter antiquissimos Comœdiæ poetas numeratus, ab eo vsq́; tempore quo Thespis floruit, a quo & Comœdia & versus Antiphanius dictus est, vt est apud celebres tum Gręcos tum Latinos Grãmaticos. Bergæi Antiphanis Stephanus meminit. Qui quod ἄπιςα, hoc est incredibilia in comœdiis finxerit, prouerbio locum dedit βεργαΐζειν, pro eo quod est incredibilia & vana dicere. Sed de hoc vide Author adagiorum Chil.4. Cent.9 adag. 58. De alijs Antiphanis nomine claris, consulendi sunt Irenæus, Athenæus, Suidas, Plutarchus, Stobæus, & alij.

EX

EX COMOEDIIS ANTIPHANIS

Sententiæ, quæ ſuperſunt, & quæ inuuentæ ſunt.

In Iniuſtitiam & auaritiam.

LVcra malè quæſita voluptates quidem pariunt
Breues, longam verò deinde triſtitiam.

In Aegyptios.

Ac alioqui ingenioſos aiunt Aegyptios
Eſſe, cenſereq́; dijs parem anguillam.
Eſt enim longè dijs precioſior.
Horum enim compotibus nobis precantibus eſſe licet;
Illarum verò, drachmas nimirùm duodecim
Aut plus inſumentibus odorari duntaxat.
Ita ſancta eſt omnino beſtia.

In Incontinentiam.

Macareus amore ſororum vnius
Ictus, tantiſper ſuam calamitatem cohibuit,

Seq; continuit; deinde aliquando assumpto
Vino duce, quod solum mortalibus iniicit
Audaciam, vt consilij prudentiam anteuertat,
Noctu surgens potitus est eorum quæ auebat.
Continuò enim homo qui impletur, ignauus & negligens
Fiat; paulum bibens, perdiligens & sedulus.
- Hunc autem
Propter vinolentiam & corporis crassitudinem,
Vtrem appellant omnes indigenæ.

De panibus Atticis.

- Quomodo enim nobilis quispiam
Poterit ex hisce ædibus egredi?
Videns quidem albos hosce panes
Furnum in quolibet transitu habentes?
Vidensq; quoad formam, clibano variatos.
Manus Atticæ imitationem, quos (panes) primùm
Thearion inuenit & monstrauit.

In Bacelum.

.. Quid? non vides gesticulantem
Manibus Bacelum? nec erubescit,
Qui Heraclitum omnibus explicat,
Qui Theodectis solus artem reperit,
Qui capita Euripidi conscribit.

De regum Cypri delicijs.

In Cypro ais, mihi dic, degistis,
Multum temporis? Semper, quoad bellum fuit.

Quo

Quo in loco maxime ? eloquere enim. In Papho,
Vbi rem elegantem eximiè videre licuit,
Alioqui certè incredibilẽ. Qualem ? Vẽtilabatur
A' columbis, ab alioq; nullo,
Coenans rex. Quo pacto? relictis enim rebus meis,
Hoc te rogabo. Quo pacto? vngebatur
Ex Syria delato tali vnguento
Carpi ſanè denſi, quem aiunt a columbis
Rodi; ac huius odoris cauſa volantes
Aderant, fereq; inſederant
Capiti, pueri verò aſſidentes
Abigebant, qua paulum ſe attollentes, vt non multum
Nec illinc, nec illuc omnino abirent,
Ita ventilabant, vt moderatus
Ei flatus non admodum aſper redderetur.

In Bembradas.

Abſurdumq; promulgant in piſcibus
Praconium; quo etiam nunc quis magnùm exclamauit,
Melle ſe dulciores, inquiens, bembradas habere;
Si ita ſe res habet, nihil prohibet,
Quin mellarij quoque dicant, vociferenturq;
Bembradibus putidius ſe mel vendere.

Quòd vxorem ducere non bonum ſit.

Quandoquidem hoc non eſt, valde miſer eſt
Qui duxit vxorem, praterquàm apud Scythas,
Illic enim vitis non oritur.
Infortunium extremum nuptia ſunt.

Age-

Agedum progrediatur vita vlterius,
Et nuptiarum ac vxoris cupiditate teneatur: his
Ille dies, hac illa nox, noua fortuna initium, nouaq́ sortis est.
Magnum enim certamen nuptia homini adferunt.
Si enim minus idonea contigerit vxor
Tibi data, quo pacto calamitate vsurus es? diffi ciles quidem repudiationes sunt;
Ex amicisq́ inimicos facere, qui idem sentiebant, idem spirabant,
Eum qui te hoc honore donauit, & te qui donatus es, graue verò
Cum censeas tibi voluptatem allaturam, si moe rorem adferentem sentias, age dum ne denuò
Bilem mouentia dicamus; dicantur qua sunt om nium commodissima.
Quid enim iucundius homini muliere grata? quidnàm dulcius, prasertim iuueni? at in eodem ipso in quo
Iucunditas inest, prope sanè & molestia prasto est, voluptates enim
Non ipsa sola ingrediuntur, sed earum comites sunt
Dolores & labores, cùm & in Olympijs & Pythijs victoria,
Et eiusmodi certamina, sapientia, omnesq́ voluptates,
Ex magnis molestijs parentur, nam honores pramia,
Illecebra, quas Deus hominibus dedit, ad magnos labores &
Sudores necessariò compellunt, ego enim, si mihi accederet

Alte-

Alterum corpus tale, quale ſum ego, mihi ſic viuere nequirem,
Mihi multa negocia exhibens, tum pro valetudine
Corporis, tum pro quotidiano victu colligendo,
Et pro gloria & temperantia, & nominis celebritate & bona
Exiſtimatione quid igitur; ſi mihi accedat corpus alterum tale,
Quod mihi perinde ſit accurandum? Igitur conſtat mulierum marito, ſi vel
Sit ex animi ſententia, nihilo minores beneuolentias exhibere,
Et moleſtias, quàm ſibi quenque tum propter valetudinem duorum
Corporum, tum pro victu colligendo, proq́;
Temperantia, & bona fama, age verò, naſcantur & liberi,
Curis iam omnia plena; & eijcitur iuuenilis
Vigor ex animo; & non iam idem qui fuit vultus eſt.

Nuptialia præcepta.

Ne coloribus corpus ſplendidis ornare velis;
Sed pectus ſinceris factis, & moribus.
Quid ais? quærens vt quid lateat, mulieri tu
Rem renunciabis? At quid intereſt, ſiue mulieri,
Siue omnibus in foro præconibus enarraſſe?
Quin iſtam punite. Hac enim parte laborant
Res mulierum. Aliqui propter liberos,
Alij cognatorum gratia non perdiderunt
In crimine deprehēſam vxorē Ita vbi Iniuſtitia
Multis impunè abit & ſuccedit,
Planè ipſa virtus euaneſcit.

De Senectute.

Sapientia nonnihil ad consultationes habet
Senectus, vt quæ multa viderit, atq; didicerit.
Ad senectutem enim, velut officinam,
Omnia hominum accedunt mala.
Vita nostra persimilis est vino,
Cum superest modicum, accescit;
Senectus est velut ara quædam malorum:
Ad ipsam enim omnia confugisse videre est.
O' senium, quàm omnibus qui quærunt te
Culpare, occasionẽ & ansam instituti sui præbes.
O' senecta, quàm cunctis hominibus es
Optata, quàm beata; deinde cum accesseris,
Molesta & grauis; nec vllus bene dicit
Tibi; sed contra quisquis sapit, male dicit.
Nemo senex patrimonia deglutiuit;
Sed neque stultè desipuit, neque redemit
Scortillum, neque ianuarum effractarum poe
nas luit.
Ita senectus temperata cum sit, beata est.

In id quod dicitur: Nosce teipsum.

Siquidem mortalis es, optime, mortalia quoque
sapito.

De Aenigmatibus.

Ego antehac iubentes efferre
Griphos inter pocula, planè nugas putabã agere,
Nihil dicentes; quando quis præcipitur
Ordine respondere, quid ferens quis non fert.
Ridebam, arbitratus id nusquam factum,
Nunquam

Nunquam opinans quempiam omnino dicturum,
Sed insidias tendi; nunc verò id noui
Verum fuisse, ferimus enim symbolum aliquod
Homines decem: non autem hoc fert
Vllus, itaque manifesto quod ferens quis non fert,
Id est; scilicet hic Griphus est, huc repens.
Ac id sanè venia quoque dignum est;
At qualia comminiscuntur in ipsa re,
Qui non deponunt argentum. quàm valde
Philippus erat felix; quibusdam per Iouem
Est natura foeminea, infantes seruans sub sinibus
Suis: qui muti vocem claram sistunt,
Tumorem transmarinum ac per omnem continentem,
Quib mortalib volunt, præsentib. verò nō audire
Licet, sed audiendi sensu captis.

Hæc quispiam dissoluens ait:

Natura, quam dicis, ciuitas est,
Infantes in se nutrit oratores.
Hi vociferantes transmarinos
Tum ex Asia, tum è Thracia quæstus
Huc attrahunt; prope verò depascentes
Ipsos assidet conuiciantesq; semper
Populus nihil nec audiens, nec videns.
Quo enim pacto fiat, pater,
Vt orator sit mutus nisi alteri ter sit trãgressionis legum obnoxius?
Et tamen accuratè censebam me
Rem intellexisse, quam tu dicito.
Foeminea est igitur natura, epistola,
Infantes in se circumfert literas:
Quæ muta cùm sint, peregrè profectis loquuntur,

Quibus volunt, alius etiam si fortè propinquus
Adstiterit, legentem non audiet.

Eorum qui propositum ænigma non soluissent, pœna.

- Hei mihi implicita
Interrogas valde, verùm ego apertè edisseram;
Si pueri raptionem nouisti forsan,
Prius celeriter dicere oportet, quàm suspendatur;
Num mihi
Aenigma proponis hoc, domine, soluendum?
De raptione pueri, si fortè quid mouerim?
Quid hoc dictum notat? det mihi aliquis
Lorum quàm celerrimè, quale non æquè noui.
Postea an non sic me punis?
Salsuginis poculum circumferre oportebat:
Scis ergò illud tibi ebibendum esse.
Num adferentem tibi protinus monstrabam?
Non; verùm reiectis post tergum manib. oportet
Exhaurire vno spiritu.

Amplius de Aenigmatibus.

Vtrum cùm dicturus sum ollam dicam
Torni purgamento fabrefactum, & corpori cauum fundum
Ex tellure fictum, in alieno matris assatum tecto;
An nouelli verò gregis in se coagula lactinutria,
Subiugi corpora irritientem? Dij boni
Scilicet enecabis me, si mihi notis verbis
Et planè dicas carnium ollam, bene dices.
Flaua apis cum laticibus commixtum, mutientiũ
Caprarum defluentem grumum, insidentem

Lato segestri sanctæ Virginis Cereris puellæ,
Tenuiter composita, deliciantia innumeris tegumentis.
An apertè placentam dicam tibi? Placentā volo.
Dionysiaci sudorem fontis, vinum vno verbo dic mihi
Scaturigine verò Phaandra hic omissa; dic aquā,
Casiopo autem aura per aerem planum, Smyrnam dicito
Longam: neque aliud quicquam tale, neque item rursum
Quicquid enuncies, id longius dicas quàm res sit, vt loquuntur quidam.
Ipsum nihil, quæ id circunstant alia crebra contrahenda.

In Mulieres.

Ego mulieri hoc vnum credo,
Quòd a morte non reuiuiscat:
In cæteris verò omnibus diffido, donec mortua fuerit
Non est vllum grauius onus
Reuera, quàm vxor dotem adferens copiosam.
Homo valde lippiens, dum mala
Plurima patitur, vnum hoc boni habet,
Quòd interea mulierum non videt.

Quales sint semper ebriæ mulieres apud Græcos.

— Vis tu quoq;, charissime,
Bibere? præclarè mecum ageretur, igitur admone,
Ad tria enim pocula aiunt deos venerandos.
— Vicinus est quispiam,

Caupo? hic statim, cum aliquando accedo
Sitiẽs solus nouit, qua mihi temperatione fundat
Nec aquosum, nec merum: ait equidem scio,
Cum bibo. --
Equidem si quid è nostris manducauerim,
Fungos crudos mihi videor manducare,
Acerbaq; mala, & si quod cibarium suffocat.
Oportet enim, vt qui edunt, largiter humectent.

De Dominis & seruis.

Seruo enim sua priuato patria
Si bonus contigerit dominus, patria instar est.

In Demosthenem oratorem.

At herus omnia patrimonia
Intercepit, vt cepit: charum fuisset
Verbum hoc recipienti Demosthen.

De Iustitia.

Qui nemini facit iniuriam non indiget vlla lege.
Id quod rectè habet, etiam lege præstantius est.

De illis qui indignè miseri sunt.

Me miserum, quàm iniusta res est, cùm fortuna
Ordinem deserit alicuius, mores autem manent.

De Hecates epulis.

Magnos enim hos omnes existimaui
Anthropophagos pisces, quid ais amicissime
Anthro-

Anthropophagos? Qui enim homo comederet?
Profectò hæ sunt Hecates epulæ,
Quas hic manas & mullos vocat.

In Mercatorem quendam.

Quomodo cum sorore Athenas huc
Peruenerim? ductus a quodam mercatore.
Syrus erat genere, ac in nos inciderat,
Et auctione foenerator minutulus emerat,
Homo incredibilis malitiæ;
Talis, qui nihil domum,
Ne eorũ quidem quæ Pythagoras ille comedebat,
Ter beatus adferret, præter coepam.

De Amore.

Si quis amantes mentem habere negat,
Ingenij nimirum est stupidi.
Nam si vitæ voluptates abstuleris,
Nihil aliud est reliquum præter mortem.

In Amicas.

Ex vicinis suis propinqua quadam
Conspecta amica, amore eius captus est,
Vrbana, inculti sanè tutoris, & cognatorum.
Mores habebat aureos ad virtutem compositos
Verè amica: cætera vel ipsum nomen
Suis lædunt moribus, cum sit reuerabonum.

De tempestiua oratione.

Nulla est oratio quæ longa videatur, quando

Ad ipsam rerum naturam verba accommodantur.

De frugalitate, consule locum De fungis.

Vitæ & mortis comparatio.

-- Nullus vnquam,
Here, mortem obijt mori cupiens & promptus.
At viuere desiderantes crure detrudit
Vel inuitos Charon; adq; locum sacrum perducit
Epulantes, & abundè omnibus fruentes.
Pestis autem remedium est immortalitatis.

In Voluptatem.

Adest enim obsonium bonum, valde alliciens,
Vinumq; Thasium & vnguentum, & corona.
Nam in satietate Venus, at non in infortunatis hominibus consistit.
Beata vita, cui semper mihi aliquid noui suppeditandum,
Est, vt, quod maxillis mandam, habeam.

In Thessalos.

- Vnicum hoc habet malum.
Semper enim famelicus est; Thessalum
Depingis certe virum. --

In Thrattas.

Vulgi piscator est. Hoc solum mihi
Reliquum est, & malè nunc audiam.
Quid obsecro hoc mali? Thrattã, aut passerẽ aut Mura.

Muranam, aut aliud ingens dabit mihi malum Marinum.--

In Venditores piscium.

Hactenus arbitrabar Gorgonas
Esse quoddam commentum: at in forum cùm
Accedo, statim mihi persuasum est intuēs enim in
Ipsos piscarios, lapideus statim fio;
Vt necessario mihi auersato fuerint
Ipsi alloquendi, si enim sentiam quantuluncunq;
Piscem quanti æstiment, concresco planè
Scilicet valde sapientes Scythæ non sunt?
Qui liberis statim atque nati sunt,
Equarum & vaccarum lac porrigunt;
Nequaquam per Iouem mammas inuidas inducunt,
Et rursum pædagogos.
Istæ autem exuperant, per Iouem, post
Eos qui male metiendo & præstigijs imponunt, longe
Enim genus id est scelestissimum, nisi per Iouem
Piscarios quis dicere velit,
Aut certè post numularios, gens
Enim nulla est ea perniciosior.
Non graue est si fortè fortuna recentes
Vendat quis pisces contrahentem supercilia
Eum, truculenteq; intuentem nos alloqui?
Sin putridos, illudere affatim & ridere.
Omnino enim contrà facerent ij oportuit;
Ille quidem rideret, alter verò longùm lugeret.
Non est vlla bestia piscibus
Miserior, quasi enim non satis sit emori
Captis, deinde deuoratis,

Vt statim sepeliantur, traditi miseri
Piscarijs, qui malè pereant.
Putrescunt, dũ vetustate rancidi duos dies iacẽt,
Aut tres, vixq; tandem si cacum emptorem
Nacti fuerint, dant mortuorum internecionem;
Quos hic exportatos domum, eijcit
Naribus odorem expertus.

Quod noua veteribus sint præstantiora.

Vnus aliquis nouus conatus, etsi temerarius fuerit
Multis veteribus præstantior est.

In Malitiam.

Si quis pecuniosus res turpes commiserit,
Quid illum, si inops fuerit, facturum putas?

In Adulationem.

Scilicet aut est, aut esse possit ars iucundior,
Aut prouentus alius, quàm adulandi industria?
Pictor labores duros & amaros tolerat
Agricola rursus in quantis periculis versatur?
Omnibus præsto est solicitudo & labor.
Nobis autem maximum opus est iocari,
Dulce ridere, cauillari cum aliquo, ebibere multum.
Non suaue? mihi sanè; ac post diuitias secundum locum tenet.

In Carnes.

Carnes cuius suauissimas quis edat? cuius?

Ad

Ad frugalitatem, ouium, quibus insinit
Neque lana, neque agni caseus, amicissime:
Caprini generis eodem modo, qua caseum non
conficiunt,

In Gobios.

Aduenio fu... uose ad nuptias rebus emptis;
Thurem ob... , dijs deabusq;
Omnibus; ...oibus libis ad litandum;
Nobis autem mortalibus gobios coemi.

In Laconicas cœnas.

Quando agis apud Lacedæmonem,
Viuas oportet moribus Laconicis.
Coenatum eas in Phiditia Laconica,
Nigro fruare iure quod ibi apponitur,
Gestesq; bystacas caue contempseris
Quicquam, boniuè aliud requiras insuper.

In Tristitiam.

Omne tristificum morbus est homini;
Multis autem varijsq; nominibus appellatur.
Tristitia insaniæ vicina mihi esse videtur.
Molestum est hominibus infeliciter viuere.
Quemadmodum malo pictori colores
Primùm abolent ex corpore.

In Coquorum sapientiam.

Atqui id quod prædulce est sicut & aliàs,
In salsugine captandum esse iubeo; Sed lupum

Totum assare, mustelamq́ in intrito bene
Feruere, poscit autem & sal & origanum anguilla, &
Aquam: congrus eadem, raia herbam.
Adest etiam thunni tosti salsamentum in carnis frusta sectum.
Ex contrario hoedus alius assatus.
Splen me grauat, & ieiunum me perdit.

In vasa coquinaria.

Omnia adsunt nobis, etiam synonyma
Qua in Boeotia est anguilla,
Mixta in concauo caccabi fundo
Calefit, tollitur, coquitur, stridetq́,
Aduritur: nec areas nares quidem
Si quis habeat ingressus, hic exire mox
Statim valebit, fumus hunc ita percutit.
Dicis coquum viuum, propinquus qui sit huic,.
Totum diem ac noctem nihil comederit.
Ac mugil exquamatus, illitusq́ sit,
Simulq́ quid cursus agens ad terminum.
Accurret vt clamans, puer statim irrigat
Aceto, & inde thyrsus adstitit; Libys
Siccatus è radijs sacratis silphij.
Et postea quidam haud valere carmina
Dicunt? ego iam tres comesos per Deos,
Dum tu refers hac, cerno, nam synonyma
Vna est bene habentis corpus ipsa sepia,
Incedit armata, ensiferisq́ manibus.
Loligo natura relicta candida
Carnis, colaphis carbonis ignita & simul.
Exultat auris corpus ipsum luteis.
Famemq́ coena prauiam dein nunc suscitat.

Quare

Quare ingredere, nec esto tardus, redito.
Nam perpeti quid est opus pransos, pati
Si nos oporteat, profectò incommodi.

De Mane poculo.

Ego monstrabo quantum cottabum
Demittas in trutinam, sed quid hoc?
An materiam hanc paruam quadrulam dicis?
Hæc ipsa lanx victor fit huic qui vicerit.
Qui norit hanc, solus quis an mox contigit?
Illius in manem sonus tum concidet, & reprehensio
Tota in cottabum torquebitur,
Adest manes quidam velut domesticus.

In Ebrietatem.

. . . Occultare, Phidia,
Omnia alia quis possit, præter duo;
Aut cum vinum bibit, aut in amorem incidit.
Vtrumq; enim patefit ex aspectu,
Et ex oratione; vt qui negarint
Maximè hæc, palàm se multis prodant.
Te autem
Quæso, viuere quid est? Si bibas, censeo.
Vides enim iuxta fluenta hyberna quot
Arbores semper nocteq; dieq;
Rigentur: magnitudine, & pulchritudine quales oriuntur.
Quæ verò contrà nitantur, scilicet sitim quandã
Aut ariditatem habentes, radicitus sua sponte pereunt.
Ita colloquentibus datum est quod biberent.

Tu verò bibe At in hoc certè tibi parebo.
Etenim pellax, ò Dij, figura
Calicis est, dignaq; gloria,
Qualē festa celebrantes recordamur. Nuper enim
Et fictilibus oxybaphis bibebamus.
Huic autem nunc, ò fili, multa bona dij
Opifici tribuant, qui effinxit te
Modestia & securitatis causa,
Neque enim sobrius oportet
Vsquam, pater, debacchetur: neque cum bibendum fuerit,
Mentem habeat, quisquis autem magnificè supra hominem de se sentit,
Exigua confisus, eaq; misera numatione,
In secessum profectus, similem se omnibus deprehendet,
Si medicorum signa vitæ consideret,
Venas, quò ferantur, supernas & infernas,
Quibus mortalium vniuersa vita gubernatur.

Poma.

De obsonijs vanum est verba facere
Ad insatiabiles Verùm hæc cape
Virgo, poma pulchra, pulchra inquam vt dij.
Nuperrimè enim semen istud relatum
Athenas est a rege,
Hesperia arbitror Veneris genus.
Aurea aiunt mala hæc tria esse
Sola. Id quod bonum est, & rarum, & vbique
Preciosum est. --

De Fungis, & frugalitate.

Quis enim nostrum nouit, quid passurus est

Deorum

Deorum fato, amicorũ quisquam? itaq; acceptos
Hos duos fungos iligneos torreto.
Coena est polenta vallata,
Paleis leuiter exarmata;
Et bulbus vnus, & paropsides quadam,
Sõchus quispiã aut fungus aliquis, aut talia qua
Largitur nobis locus misera miseris.
Talis vita febrilis non est, pituitam non habet.

In Nauigationem.

Infelix quisquis in mari vitam degit.
Nam ad quaerenda nauigantium centum stadia
Venire, sanè melius est quàm iugerum nauigare,
Plurimum maris funibus metientibus.
In terra pauperem esse praestat, quàm diuitem nauigare,
Pecunias respiciens mercator superbit,
Quarum aliquando omnium dominus fit ventus.

De Oxybapho, vide locum de ebrietate.

De Iureiurando.

Hera, cum quis iurantem contemnit,
Quem antea peierantem non intellexit,
Is deos ipsos contemnere mihi videtur,
Atque prius cum iurauerit ipse peierasse.
Qui iuramentum postulat a malo viro, insanit.
Contrarium enim nunc dij faciunt.
Nam si quis peierarit continuò
Ille qui postulauit iuramentum, fit attonitus.
Meritò nimirum, quia credidit improbo homini.

Parasiti.

Nam vide parasitus quàm sit, si rectè perpendas,
Socius vtriusque tam fortunæ quàm vitæ.
Nullus parasitus infelices esse optat amicos,
Sed e contrà omnibus bene esse semper
Si quis vitam agit magnificam; non inuidet.
Particeps imò bonorum esse optat cum eo cohabitans.
Estq; amicus generosus simul, & constans:
Non pugnax, non iritator, neque inuidus.
Ad tolerandum iram bonus. Si cauilleris, ridet,
Amabilis, ridiculus, moribus hilaris.
Rursus miles bonus, strenuusq; nimis,
Si modò splendida ei coena parata fuerit.
Mores quidem nosti meos,
Fastus nihil inest; sed amicis
Talis equidem sum; si verberer, ignitum ferrum;
Si verberem, tonitru; ad excæcandum quempiam, fulgur;
Ad elatum quempiam portandum, ventus: ad suffocandum, laqueus:
Ad effringendas fores, terræmotus; ad insiliendũ, locusta;
In coena, inuocata musca non egrediendo puteus:
Ad imperandum, trucidandum, testificandum quemcunque solùm
Vt res tulerit, dicat quis, ad hæc sine cunctatione facienda
Omnia, atque me iuniores appellant
Ob hæc omnia Fulmen, at nihil curæ sunt

Cauilla

Cauilla mihi amicorum enim amicus,
Factis vtilis, non verbis sum duntaxat.

Consolatoria.

Lugendi sunt moderatè cognati & affines amici.
Non enim mortui sunt: sed eandem viam,
Quæ omnibus necessariò ineunda est,
Præiuerunt; ac deinceps nos postea,
In idem diuersorium cum ipsis veniemus,
Communiter aliam vna cum ipsis acturi vitam.

Adagia.

Inuolutus cassibus, vnde foras
Non facilè regredi licuit eadem via
Tu quid facere vales coturniculæ animo præditus.
Qualem olim habebat & Thribon, qui molliter
Exutus est ipsis talentis Tantali.

De Patribus.

Nam cum aliquid in gratiam dilecti filij facio,
Hunc ad me pertinere fructum mihi persuadeo,

In Paupertatem.

Omnia fames dulcia præter seipsam reddit.
Potius est probum pauperem esse, quàm malum diuitem.
Illud enim misericordiam, hoc reprehensionem adfert.
Opulentia tegumentum est malorum,
Mater, inopia res est perspicua & abiecta.

Paupertas

Paupertas morum magistra est.

Piper.

Emens piper si quis ferat, velut malum
Torquere dicunt hunc speculatorem statim.

Et rursus;

Betas oportet & piper nunc quærere
Circumeuntem.--

In Diuitias.

Argentum & anima & sanguis est mortalibus.
-- Diuitiæ cum plus
Alijs videntes acceperint aliquos, cæcos faciunt.
Nunquam sanè felicem existimaui prædiuitem
Hominem, nulla re quam habet fruentem.
Verùm diuitiæ nos, ceu malus medicus
Videntes assumptos omnes excæcant.
Animam habere diuitem oportet, pecuniæ autem
Nihil quàm ostentatio sunt, & velamentũ quoddam vitæ.
Cuius enim alterius rei per deos quæso gratia quis
Precetur diues esse, abundareq́ diuitijs,
Quam vt possit opitulari suis amicis,
Ac ferere fructum deorum gratiæ suauissimæ?
Nam bibendi & edendi voluptates
Habemus similes; non verò splendidis
Epulis esuries sedatur.
Omnia sanè sunt nugæ, cum auro comparata.
Solum enim semper permanere solet eodem statu,
Eodemq́ colore: amicorum autem mores

Nunquàm

Nunquam simili modo depingunt fortunæ:
At diuitiæ mores hominis explorant.
Cum enim locuples turpia facinora moliatur,
Quid hunc inopem arbitraris non facturum?
Quisquis homo
Vitam pecunijs muniri censet vllo modo,
Plurimum errat aut enim vectigal quoddam rapuerit,
Quæ intus sunt omnia: aut multa quis damnatus perdiderit;
Aut exercitui præfectus expenderit; choragusq́; delectus,
Vestibus & aureis monilibus choro suppeditandis, detritam vestem ferat.
Aut triremibus præfectus strangulетur, aut nauigans alicubi capiatur:
Vel iter faciēs, vel dormiēs, discerpatur a famulis.
Nihil prorsus stabile est, præterquā si quis quotidie
In seipsum forte lubenter insumpserit.
Neq́; sanè id valde tutū est, et enim mēsam rapiat
Appositā quis accedens: at cùm immissum cibum
Iam intra dentes diuulseris,
Id in tuto solum ex ijs quæ habes existimato.

Quòd delicatorum pedes vngnento vncti sint Athenis.

(Ait) Puellam vnguenta
A' dea accepisse. Deinde pedes
Iussit primùm vngere, deinde genua,
Sic aptius pedes puella attigit,
Ipsosq́; fricuit, & se abripuit.

Et in Zacyntho:

Haud æquè sum amator mulierum ego;

Et amicas omnes suauiter excipio.
Primùm enim id quod tu facis, pati
Mollibus pulchrisque pedes fricari manibus,
An non venustum est?

Et in Thorycijs, id est, Venerem, concitantibus.

Lauatur certè,
Sed cur ex auro coniuncta pelui? vnguento
Aegyptio quidem pedes & manus;
Phoenicio verò genas, mammasque;
Sisymbrio, alterum brachium,
Amaracino supercilium & comam,
Serpyllino genu & ceruicem.

In Pythagoricos.

Nemo carne præsente, cepa vescitur;
Ne ij quidem qui Pythagoricos simulant.
Primùm quidem quasi Pythagorissans edit
Animatum nihil: sed è plurima boli
Polenta atram particulam capiens, decorticat.

De Sapientia.

Fac semper, te per musas ac literas oro, adsis
Vbicunque sapientia opus exquiritur.

Sophistarum contentio.

Hoc tyrannidem exercere est, aut
Quidnàm, studia sequi? (contentio
In Lyceo est inter Sophistas) an qui

Minutè,

Minutè, ieiunè, inutiliter dicat, quod
Res hæc non est, si sit.
Neque est enim factum, quod fit;
Neque si prius erat, est quod nunc fit.
Est enim non ens nihil; quod verò nondum factum est,
Non est vt factum est sed quod nondum factũ est.
Ex esse enim factum est si autem non erat, vnde,
Quomodo factum est ex non ente? non enim fieri potest.
Si autem a seipso alicubi factũ est, non erit rursus
Non ens. In non ens enim non poterit.
Hæc verò quid velint, ne Apollo quidem intellexerit.

De Militia.

Quis mortis mercenarius non est, charissima,
Qui causa viuendi veniat moriturus?

De Temperantia.

Vita enim diuina est, cum aliunde nactus es
Vt de rebus alienis coenes, non obnoxius supputationibus.

De Liberis.

Quisquis erubescit adhuc in tam grandi ætate
Suos parentes, non est malus.
Nam qui dissentaneum quid patri molitur,
Omnium is est contemptor deorum.
Superiorem enim se gerere patre, dedecus adfert:
Victo autem victoria gloria paratur.
-- Pauonum vt
Quis iugum semel attulit vnicum, rara

Res

Res erat; nunc conturnicibus frequentiores sunt.
At bonum virum si quærens quis vnicum viderit,
Ex eo malos quinq; filios natos cernet.

De Arte.

Quisquis artem monstrauit primus deorum,
Is maximum reperit hominibus malum
Cum enim est quispiam inops siquidem deses erat
Progressus vno die venit in periculum,
Vt aut splendidus euadat, aut mortem obeat;
Nos verò quibus est ars arrhabo
Viuendi, semper esurimus, dum speramus;
Ac exiguo cum inopes esse liceret tempore,
Per totam vitam id agere studemus.

In Tithymallum parasitum.

.. Etenim
Cupiebat amicis sua sponte inseruire.
Ais diuitem fuisse talem Tithymallum.
Bene namq; feret ex sermone tuo mercedem,
Apud quos cœnabat libenter frequēti collectione.

In Audaciam.

Quandoquidem necessitas moriendi incumbit,
Gratis mori euidens damnum est.

In Tragelaphum.

Sponso, vt ferunt, opes tenenti plurimas,
Talenta, præfectos domus, pueros, iuga,
Simul camelos, strata, vasa argentea,
Philanis

Phialas, triremes, tragelaphos, carchesia,
Liburnaq; ex auro, rates, cados quidem
Cuncti liburna ventricosi nuncupant.

De Tragœdia.

.. Tragoedia diuinum est
Poema planè. Nam primùm verba
A' spectatoribus sunt cognita
Prius quàm quis proferat, vt recitare solum
Oporteat poetam. Oedipum enim si dicam,
Reliqua omnia norunt, quod pater Laius,
Mater Iocaste, sorores puellæ quædam (sint)
Quid hic persuadebit? quid fecit? Econtrà
Si quis proferat Alcmæonem & pueros
Omnes, statim dixit, quòd furibundus occiderit
Matrem. Indignans autem Adrastus statim
Veniet, quid efficiet? Si nihil amplius dicere possunt,
Admodum defessi in ipsis actibus explicandis,
Extollunt tanquam machinam digitum,
Atque id spectatoribus sufficit
Nobis autem hæc non sunt, sed omnia necesse est
Noua inuenire nomina, & deinde disponere
Primùm quidem præsentia, mox catastrophen,
Deinde ingressum. Si vnum ex his deficiat,
Verbi gratia Chremes, aut Phidon aliquis, exsibilatur
Peleo verò hæc & Teucro licet facere.

Structores mensæ.

.. Accepi veniens hunc
Mensæ structorem, qui lauat vasa, lyrticiosq;.
Adornaui libamina, feciq; alia omnia
Quæ illis conueniunt...

In

In Fortunam.

Hoc vir a viro differt Vnus quidem infeliciter
Agens, molestiam ipsam magis excitat.
Alter verò consultius (quod contingit) accipiens, commodè fert.
Homo generosus leniter ferat fortunæ euentus.
Infortunatus esse nullus quidem posse videtur;
At humanum infortunium ferre, bonis praditi moribus est.

De Aqua.

.. In olla autem mihi
Aquam coctam non contingat cernere.
Non enim male mecum agitur, nec agatur, precor. Sin autem
Turbent meum tormina ventrem, vel umbilicum,
Paratus ex optima mihi annulus drachma est.

De Parcitate.

O' infelices isti, quibus lucri ergo
Turpia videntur honestis præferenda.
Quippe prudentia accipiendo obnubilatur.

De Amicitia, lege locum de Parasitis.

In eos qui piscibus delactati sunt.

O' Sepiadis rex Hercules
Omnia turbarunt: non iacies amplius

In

In mare, & lauabis? ne dicant te
Dona, imò nec sepias accepisse.
Locustam autem hanc & manas
Redde, crassa profectò (est). O' Iupiter, quis
Ex amicis te vescatur, Callimedon?
Nemo, nisi qui non det symbolum.
Vos autem constitui huc ad dexteram
Mullos, pulchri cibum Callisthenis.
Consumit igitur uno (mullo) substantiam suam.
Et Sinopæ congrum, crassioribus iam
Spinis munitum. At hunc quis capiet?
Primus progressus? Smigolas enim non prorsus
Vorax istorum est, sed Citharus hic:
Quem si viderit, non manus abstinebit.
Etenim verè maximéque citharoedis
Iste omnibus quasi agnatus adhæret.
Optimum gobium & adhuc salientem
Pulchra Pythionicæ mittere me oportet.
Ingens quidem est: verùm illa vix gustabit,
Quia salsus est. At enim cupiuit
Tenues auias has & pastinacam,
Seorsin Theano, si sit repertus, æquiualentes.

In Philoxenum, & de poetis.

Longe sanè est supra poetas omnes eximius
Philoxenus. primùm enim nominibus
Proprijs & communibus vtitur vbique,
Deinde modorum & cantuum variationibus &
chromatis.
Vt probè Deus in hominibus temperauit; erat
Peritus ille, & verè musicam tenebat.
Qui verò nūc sunt poetæ, hederaceos, & fontanos,

Et

Et floridos cantus ac numeros, vanis nominibus
Implicantes edunt alienos modos.

In Assiduitatem.

Omnia diligentia subijciuntur.

Philosophorum deliciæ.

Amice nosti quisnàm sit iste
Senex? Aspectu Græcus est,
Candida vestis, pulla camisia pulchraq́;
Canicies mollis, aptus bacillus,
Firma mensa. Quid opus est persequi pluribus
Rem? Videor enim mihi videre Academiam.

In Phœnicidem gulonem, vel Gulonum catalogus.

Menelaus pugnauit annis decem
Cum Troianis, propter mulierem facie pulchram,
Ita Phoenicides cum Taurea propter anguillam.
.. Euthynus autem habens
Sandalium & sigillum, olensq́; vnguenta,
Ratiocinabatur nescio quam rem:
Phoenicides autem & Taureas amicissimus,
Viri senes, gulones sunt huiusmodi:
Qui deglutire in foro salsamenta
Intuentes, emoriebantur ob eam rem,
Grauiterq́; ferebant prorsus obsonij penuriam,
Inq́; gyrum se congregantes dicebant sic:
Quàm vita hæc non vitalis est, nec tolerabilis,
Cum mare sibi quidam vendicent
Vestrum, magnamq́; pecuniæ vim consumant,

Et

Et interea ne gry quidem de obsonio huc redeat.
Quæ igitur insularũ præfectis vtilitas inde cedit?
Lege ergò sanciendum est vt huc aduehant
Pisces. Matron autem diripuit nunc
Piscatores, & sanè Diogiton pisces
Omnes sibi suasit conferre.
Hisq; vescendo parum gratam populo rem facit.
Verùm nuptiæ & potationes istæ iuueniles
Erant.--

In Chærephontem parasitum.

In vicum, si placet, eamus sicut collecti sumus,
Acceptis & face & coronis; Chærephon sanè id
Sic didicit laudare ieiunus.

In Chondrum & edulia.

In sportulis autem quid est amice?
In tribus quidem chondrus Megaricus bonus;
Nam Thessalum non bonum esse audio. Aiunt autem
Quod Phoenicia similago longè multis
Sit inferior -
Multa bonaq; gustaui edulia,
Tres aut quatuor bibens potiones.
Lasciuiebam postea cum cibum comedissem
Quantum quatuor elephantes.

De Bonitate.

Iusti mores peculium sunt preciosissimum.

In vas refrigerando aptum.

Quomodo igitur viuimus? ephippium
Nobis stratum est. Pulcher autem pileus, idoneum
Refrigerando vas, quid vis amplius? Amalthea
cornu.

In Odum, poculi speciem.

Quid igitur diis est? Nihil sanè;
Nisi quis poculum misceat, tene, odum cape.
Ac postea nullum obsoletorum virum
Ex his facias, Telamonem, neque etiam
Paonem, neq; Harmodium.

Omnium sententiarum quæ de Antiphanis scriptis inuentæ sunt, finis.

ANAXANDRIDAE COMICI VITA.

ANaxandrides, Anaxandri filius, Camiræus ex Rhodo insula, vel vt alij scribunt, Colophonius natus, vt creditur, & Suidas asserit, Philippi Macedonis temporib. Olympiade ferè c. i. Fabulas sexaginta & quinq; scripsisse, deciesq; vicisse proditur. Ab hoc nonnulli volunt amores in scena prmùm inductos fuisse, & virginum raptus. Hic, vt Chameleon Heracleotes libro sexto de Comœdia, & ex eo forsan Cœlius Antiquarum lectionum author, scribunt, & Gyraldus meminit, formoso admodum corpore fuit, & procero, delicijsq; deditus: vnde & comam præter morem nutriebat. Tanta verò iracũdia afficiebatur, quoties fabulam aliquam docuisset, nec ex ea victoriam reportasset, vt versus quos edidisset, scindere ac lacerare solitus fuerit: eosq; ad vilissima quæque rerum inuolucra destinare, imò salariorum pueris cordillis obtegendis tuniculas, vt idem Cęlius ait, præbuerit: dignum vtique malis carminibus supplicium. Hinc factum est, vt multos etiam bonos actus, cũ ijs qui a spectatoribus improbati fuerant, reiecerit. Scribit Eustratius in Ethicis Ari-

ſtoteles lib.7.capite decimo,ni fallor,hoc Anaxandridæ carmen adducit,

ἡ πόλις ἐβούλεθ' ᾗ νόμων οὐδὲν μέλει

id eſt, Ciuitas conſulebat, cui nulla legum cura erat; Anaxandrides, inquit, contra Athenienſes ſcripſit, quos ſanctiſſimas quidē leges habere affirmabat, prauiſſimis tamen vti; quare ab eis fame atque inedia mori coactus eſt. Atque his verbis illud Ouidij exponitur in Ibin:

Vtuè parum ſtabili qui carmine læſit Athenas,
Inuiſus pereas deficiente cibo.

Vbi Zarottus Ouidij interpres,rectè ſecundum Euſtratium,de Anaxandride poetam loqui ait:licet alij diuerſum ſentire videantur, ex authoritate Pauſaniæ. Laertius & in Platonem Anaxandridæ verſus adducit, quos lector loco εἰς πλάτωνα ſubiectos videbit.

Meminerunt inſuper illius Macrobius, & Ariſtoteles in Rhetoricorum tertio.

EX

EX COMOEDIIS ANAXANDRIDAE

Sententiæ quæ superſunt.

In Aegyptios.

NOn vobiſcum poſſem vna pugnare quidem.
Neque enim mores conſentiunt, neque leges
Noſtræ, ſed inter ſe longè diſtant.
Bouem adoras, ego dijs macto.
Anguillam maximum arbitraris dæmonem,
Nos obſoniorum longè maximum.
Non veſceris ſuilla, ego delector
Ea maximè, canem colis, quem ego verbero,
Vbi obſonium ab eo deuoratum deprehendo.
Sacerdotes hic integris membris ſint, lege
Sancitur: apud vos, vt videtur, initiati.
Tu felem malis affectum ſi cernas,
Defles: ego libentiſſimè interfecto pellem detraho.
Apud vos mus valet, apud me minimè.

Verba fiunt cum Aegyptijs.

In Intemperantiam.

Nunquam ſeruum voluptatis teipſum facito.

Libidinosa id mulieris est, haud viri.
Si nunc lauemini,
Radiculamq́ multam comedatis, desinetis dolere,
Ac grauedinem dissipabitis, quæ velut nebula nūc
Insidet fronti.
Auis nuncuparis. Quam ob rem, te quæso, per Vestam?
Vtrum quòd deuorarim patrimonium,
Quemadmodum probus Polyeuctus? Non sanè, sed quòd
Mas a foemillis contusus sis.

De Arte piscandi.

Pictorum honesta manuum industria
De tabulis pendens admirationi est:
Ipsa verò ab illa gnauiter abripitur,
A' sartagineq́ statim obscuratur.
Digitorum talis est assuefactio, vel
Oppressio ut statim absorberi non possit
Solum deprehensa, coitiones enim facit.
Obsonijs refertum forum, quis enim conuiuia frequentet mortalium,
Fabas si reperiat, aut coracinos venales,
Aut nihil? quin speciosus adolescentulus
Quibus carminibus aut verbis capitur?
Quibus, dic enim, si quis auferat artem
Piscatorum? etenim ea domat,
Ac assatis piscium aspectibus mancipat,
Prandij fores ipsis corporibus subijciens;
Sineq́ symbolo ut se flectat, natura cogit.

De Arcanis.

Qui commissum sibi instar depositi sermonem
Eulgat,

Eulgat, aut iniustus est, aut admodũ incontinẽs.
Iniustus quidem, si lucri causa id faciat; sin absq; lucro
Incontinens; ex æquo autem vtriq; mali sunt

In Argam malarum legum poetam.

Videtur esse quis profectò hic nobilis,
Exercitationis vt capit locum
Sic consonè, mox erudiuit quàm benè.
Expertus Arga te volo dimittere,
Cum plenus ipse sim, timentem ac anxium:
Vincas, amice, quò sophistas tu quoq;.

Quòd non bonum sit vxorem ducere.

Quisquis vxorem ducere deliberat, non deliberat
Rectè: quòd deliberet, itaq; ducat.
Est enim initium multorum id malorum vitæ.
Si enim pauper mulierem pecuniosam
Accipiat, dominam, non vxorem habet in posterum,
Cuius seruus est & pauper, sin accipiat
Nihil adferentem, idem seruus fit.
Oportet enim posthac pro vno duos alat.
At duxit deformem? non iam vita iucunda est,
Nec omnino domum ingredi lubet,
At formosam quis accepit; nihilo fit
Magis propria mariti, quàm vicinorum;
Vt nusquam malum euitare detur.

Nuptialia præcepta.

Difficile, tibi dico, & arduum, ò filia,

Iter est ad patrem abire domum,
A' marito, cuius honesta mulieri.
Reciproca enim ista via infamis est.

In Senectutem.

Boni viri senectus facilis est in colloquio.
Non est senectus, vt censes, pater,
Onerum maximum; sed qui tulerit
Eam imprudenter, ipsemet in causa est.
Ille verò facilem ipsam & tranquillam reddit,
Qui mores eius commodè tractat,
Molestiam tollens, & voluptatem adijciens.
Contra qui ægrè fert ipsam, is dolorem sibi parit.

In Glaucum piscem.

Qui primus inuenit, vt oppiparum magnumque secaretur
Glauci caput, placidiq; corpus
Thunij, aliosq; marinos cibos:
Eum Nereus in omnia loca migrare cogat.
Vos enim alij alios semper irridetis,
Certò sciò, si enim fuerit quispiam magnificus,
Sacras nuptias appellatis; sin pusillus omnino
Homuncio, guttam si splendidus quispiam acces-
serit, eiulatus is est: pinguis
Obambulat Democles, cupedia
Cognominatur, gaudet quis squalloribus aut sordibus,
Puluis apparuit; a tergo sequitur assentator,
Telember cognominatur; vt plurimùm incoenatus ambulat,
Ieiunus Cestrinus est, ad speciosos si quis intuea- (tur,

Nouus

Nouus est spectaculi auctor; abstulit agnum ludens,
Atreus vocitatur; sin arietem,
Phrixus: si pelliculam, Iason.

In Amorem.

Amor praceptor est, quàm sophista
Ineptus, longè prastantior ad hominum vitam.

De Morte.

Praclarum est mori antè, quàm quid morte dignum geras.

In Assentationem.

Nam adulari nunc comitatis habet
Nomen. --

De Epithetis, quæ subsannandi gratia per iocum Athenienses dicebant.

In Cymbium poculum.

-- Magna fortassis
Pocula exhausta, & meri plena
Cymbia perturbarunt vobis caput. Turbarunt certè.

De Laide, & alijs meretricibus.

Laidem Corinthi nosti? quid ni?
Cum nostras sit, erat illi amica quadam

Antia, quæ ipsa quoque nostra delicia erat.
Tunc temporis profectò florebat Lagisca, erat etiam
Theolyte, quàm pulcherrima faciei formosa
Visa plurimum, eratq́ ocymum prorsus splendidum.

In diligentiam.

Plures studio boni sunt quàm natura.

De modò dextrè bibendi.

Quemnàm bibendi modum præscripseritis,
Nunc dicite. Quem bibendi modum
Nos? talem, qualis tibi videatur.
Vultis igitur ad dextram, pater,
Dicere? In bibentis gratiam ad dextram
Dicere, Apollo, quasi mortui.

In Platonem.

Quando vorabat oleas noster, vt Plato.

De Pauonibus.

Non est stultum, domi nutrire pauones,
Dum licet tales, duasq́ imagines emere.

In Bellaria.

Cepi autem coronam, & tum illata est mensa,
Talibus instructa dapibus, quales per deos
Deasq́ nec vidi vsquam, nec cognoui ego.
Si accedens parum sanè vtilis nunc sedebam.

In

In Fortunam.

Non est vsquam bone vir, seruorum ciuitas:
Sed fortuna omnia transmutat corpora:
Multiq́ nunc sunt non liberi,
Qui in crastinum Sunij, deinde postridie
Foro vsi sunt. Gubernaculum enim versat
Fortuna dea cuiq́.

Sententiarum Anaxandridæ quæ inuenta sunt, finis.

EVBVLI COMICI VITA.

FVIT & Eubulus Cettius Atheniēsis poeta Comicus, quē Atarnitem (nisi fortè sit alter hic Eubulus) facere videtur Pollux in nono, cum de Phocaite statere nomismate agit: quo loco ex Callisthenis apophthegmate tradit, Persiū poetam de Eubulo sic Atarnite scripsisse; διότι τὰς φοκαίτας, ἃς εἶχον, ἔσχον ἴδιον ἐν μητιλλώῃ μᾶλλον, ἢ ἐν ἀταρνεῖ. Est autem Atarna, è Lesbi regione oppidum. Patrem verò habuit Eubulus, vt Suidas scribit, Euphranorem. Docuit quidem fabulas quatuor & viginti, vt idem asserit Suidas. Si verò Athenæo credimus, quinquaginta scripsit, quarum hic nomina subijciuntur. Floruit 101. Olympiade, propinquus poetis mediæ & antiquæ comœdiæ. Ammonius tamen mediæ ipsum Comœdiæ poetam scribit, cuius & fabulam καμαλαθοφόροι citat. Quòd ænigmatib. delectatus sit Eubulus, ex Athenæo & Gyraldi libello de ænigmatibus, probari potest. Vnde etiam descripsimus ea quę loco περὶ αἰνιγμάτων inseruimus. Auream eius sententiam, qua de vini vsu loquentem inducit Bacchum, partim ex Athenæo, partim etiam ex Pindari Commentarijs integram adijcimus.

EX

EX COMOEDIIS EVBVLI

Sententiæ quæ superſunt.

De Aenigmatibus varijs.

*E*St qui loquitur elinguis, homony-
mus, mas & foemina,
Propriorum flatuum pronus, hi-
ſpidus aliàs leuis,
Inſipientia inſipientibus dicens,
legem ex lege trahens:
Vnum eſt & multa, & ſi quis vulneret inuulnè-
rabilis.
Quid eſt hoc ſiquid dubitas Calliſtrate?
Podex quidem certe is eſt. Deliras verò.
Hic enim ipſe eſt elinguis loquax;
Vno nomine multis, vulneratus inuulnerabilis.
Hiſpidus lauis, quid vis? ſpirituũ multorũ cuſtos.
Locuſta habens oculos, non prolato ore, vtrinque
mobilis
Depugnator filiorũ ingenitorum ſemẽ perimens.
Ichneumon Aegyptium animal eſt
Crocodilorum enim hic oua abſumens,
Priuſquam in feras ſemen euadat perrumpit,
Et deinde abſumit. Propterea etiam anceps
Ex inferiori loco pungit, labris verò mordet.
Noui ego qui grauis eſt iuuenis; cũ verò ſenex eſt,

Euolat

Euolat implumis leuiter, terramq; lacessit.
Pappus spina est. Is enim cum iuuenis est,
In semine consistit; cum verò excusserit
Illud, auolat leuis
Vel puerorum flatibus inde motus.
Est simulachrum sursum erectum deorsum hians
A' capite in pedes perforatum, acutum, concauum
Ad homines pariendos innate singulos,
Quorum alij vitæ portionem sortiti sunt, alij vagantur.
Illud quilibet habens, eum iubent custodire.

In Incontinentiam.

— Mulier
Radiculam si ad me tuleris, crapulam
Ablatura es omnem, vt mihi videris
Equidem, viri, saturatus sum non malè,
Sed ita plenus sum, vt etiam vix valde
Omnia conatus crepidis me calciauerim.
Ita vehementer est moribus Boeotius
Vt neque coenis, vt aiunt, impleatur.

Ad Amœbeum citharœdum.

Quid peruerse stas adhuc in foribus,
Ac non abis? his strenuè dudum
Dilacerata sunt calida anserculorum membra,
Discerpta insignes porcellorum carnes,
Effractus est alui per medium orbis,
Simi iam facta sunt omnes extremæ partes,
Explanatum est grauis farciminis volumen,
Propemodum erosa est torrida teuthis,
Fermè comesta sunt pectuscula nouem aut decem;

Itaque

Itaque cum velis ex reliquijs esse,
Propera propera, nequando veluti lupus hians
His quoque frustratus, postea diu curras.

In Tibicinem.

Memini me hoc, per Vestam, audire
Olim domi, vbi coquus peccauerit
Tibicinem cadi.

In Bœotorum voracitatem.

Ad laborandum quidem & comedendum strenui sumus,
Et in his valemus Athenienses ad dicendum
Prompti, pauca edunt; Thebani verò multum.
Boeotis vrbem condidit
Viris bonis edendo vel totum diem.
Ita moribus est Boeotius iste,
Vt edendo impleri nequeat, sicut perhibent.
Postea Thebas veni, vbi noctem totam
Diemq; coenant: & sterquilinia habeat
In foribus singuli, quo homini plen.
Non est maius bonum, vt qui cacaturiens
Longè profecturus esset, multaq; comedens vir
Labra mordet totus aspectu ridiculus.
Tu quidem Thebarum, vt ais, campum relinques
Optimorum virorum ad vescendum die
Toto, ceruicibus & qui sterquilinijs propinqui sint.

De Bulbis.

Calidius, vel siccius, vel medium tenens,
Hoc est cuique grauius quàm Troiam capere.

Equidem

Equidem neque thyrsis, neque silphio,
Neque profanis & amaris paropsidibus,
Nec bulbis veni vt satur forem.
Quæ verò in primis ad cibum, & roboris vigorem,
Sanitatemq́; faciunt, vt ijs vescere omnibus;
Cocta bouina carne vehementer grata,
Generosis visceribus, porcellis assatis,
Saleq́; conspersis tribus. –

Quod irrigari pro bibere dictum sit.

–Sicon ego
Irrigatus, & bene potus huc venio.
Bibit, per Iouem, hic, & ego simul bibo
Mendaum quoque vinum.

Quòd non bonum sit vxorem ducere.

Malè pereat quisquis vxorem secundò
Duxit. Qui primùm enim, ei non malè dicam.
Erat enim inexpertus, opinor, ille mali:
Hic vero male esset mulier malum expertus.

In Mulieres.

Iupiter maxime, vtinam ego maledictis aliquando
Mulieres petiturus, per Iouem, perirem,
Rerum omnium optimas. Neque nata esset
Mala mulier Medea, at Penelope.
Magna res est, dicet quis Clytemnestram malam,
Alcestim bonam oppono, sed fortassis

Phædram

Phædram criminabitur quispiam; attamen per Iouem
Bona quædam erat. Quis miser sum?
Citò sanè bona mihi mulieres defuerunt.
Malarum autem adhuc multas enumerauero.

De Dionisio Siculo.

At est grauibus & sanctis viris contumacior.
Et nullis assentatoribus cauillantibusq;
Se prorsus irascitur. Arbitratur verò
Hos solos liberos, etiamsi seruus sit.

Bacchi verba, de vini vsu.

Tres solos crateras immisceo
Prudentibus: vnum valetudinis ergò,
Quem primum ebibunt; alterum verò
Amoris & voluptatis; tertium somni,
Quo hausto qui appellantur sapientes
Domum ibunt; quartus non amplius
Noster est, sed contumeliæ quintus vociferationis;
Sextus lasciuiæ septimus sugillationum:
Octauus famuli, nonus iræ;
Decimus tandem insaniæ, vt etiam alios expellat.
Multum enim vini in paruū vasculum infusum
Facilimè subuertit eos, qui biberunt.

In Seruos.

Multi cum fugerint ab heris, qui liberi
Erant, rursum idem præsepe quærunt.

In Anguillas.

Nympha coniugij expers betis circa corpus vestita
Candi-

Candida adest Anguilla, ò mgnum mihi, magnumq́;
Lumen tibi manifestum.

Et in Ione:

Et postea thunnorum opulenti ad te nauigant
Ventres assatorum paluſtreſque
Bœotiæ aderant anguillæ deæ,
Betis indutæ.

Et in Medea:

.. Virginis Boeotiæ
Copaidis. Nam deam nominare pudet.

In Amorem.

Quis primus inter omnes homines pinxit,
Aut in cera finxit Amorem alatum?
Quàm nihil præter hirundines pingere nouit,
Imperitus prorſus morum huius dei.
Neque enim leuis eſt neque etiam facilis
Ad liberandum a morbo ægrum,
Sed nimis grauis. Quomodo igitur alas haberet?
Res hæc meræ nugæ erant; etſi quis aliter cenſeat.

De Amicarum aſtutia.

Abſurdum profectò eſt, vinum ſemper probari
Meretricibus vetuſtum; virum autem
Non vetuſtum, ſed iuniorem.
.. Scorta Veneris exercitata,
Deinde nuda ac ordinata commodè,
Stantia tenuibus pallijs, & qualibus
Solet Padus rigare latus flumine

Hortos

Hortos puellis, perfrui tutò licet
Paruo voluptate hic coempta nummulo.
Clam quisquis vxorem capit & abscondite,
Qui non vir est viuentium miserrimus?
Quando licet ad solem videre propalam,
Deinde nudas, ordinatas commodè,
Scantes tenuibus pallijs, & qualibus
Padus solet rigare latus flumine
Hortos puellis, perfrui tutò licet
Paruo voluptate hic coempta mummulo.
Et turpissimos facilè nec occultos amores
Omnium persequi contumelia nõ amoris gratia.
Ego sanè Gracia infelicis causa
Conqueror, quæ Cydiam Nauarchum emisit.
Quàm coenabat vrbanè,
Ac non sicut alia porrum edentes.
Placentam subegerunt mala, & carnes
Mordebam turpiter; sed de singulis parum
Gustabam, velut virgo Milesia.

In Impietatem, ex Clemente Alexandrino.

Eubulus autem, qui est ipse quoque Comicus, hoc modo ipse quoque scribit de sacrificijs; Caudam solum & femur sacrificatis, tanquam pædicønibus Et in Comœdia Semele introductum Dionysium facit disceptantem; Primùm quidẽ mihi sacrificant nonnulli sanguinem & vesicam; cordis autem ne superficiem quidem. Ego enim neq; dulci vescor victima, neque femoribus.

De Thericleo calice.

Non ablui vnquam vas ego, nam purius

Feci

Feci ipse fictile, Thericles quàm pocula,
Cum adhuc eram iuuenis.
O' terra, Thericles is olim figulus
Si te parauit, ac profundum reperit
Latus, muliebrem nouit ille protinus
Morem, exiguis quòd poculis haud gaudeant.

De Lactucis.

Ne apponas mihi, mulier, lactucas
Ad mensam, obsecro te.
In hoc enim olus, vt fertur, aliquando
Adonin mortuum deposuit Venus,
Adeò est mortuorum cibus.

Quòd etiam pisces comederint Hemerici heroes.

Pisce Homerus vescentem dixit alicubi
Achiuorum quempiam: carnem verò duntaxat torrebant, cum
Elixantem non fecerit eorum quenquam.
At neque vnam alioqui meretricem nouit quis eorum:
At amarum militiam viderant, qui vrbe
Vna capta, longe latiores
Vrbe quam tum ceperunt, redierunt.
Neque aerem heroes auibus sinebant
Liberum, laqueis & nubibus ad turdos
Et turtures capiendos erectis.

De Cantharo.

Caupona quando contigit quadam noua
Contra

Contra domum meam, videbam virginis
Nutricem ego miscere: cauponem mihi.
Iussi ex bona choa oboli ponere maximum,
Tum fortè cantharum.

De Mugile, adagium.

Qui nunc diem, si dijs placet, quartum lauat,
Ieiunus improbi vitam mugilis degens.

De Corintho.

Veni Corinthum, suauiter namque hic morer
Edens olus deperditus, sic ocymum.
Vestemq; ibidem perdidi nugans malè,

De Cottabo.

Quis inferius nam crura ceperit mihi?
Extollor ipse sicuti vel cottabus.

In Masanessam, liberorum amantem.

Nam quæso quantò dignius nutrirer
Virum penes virum, facultas si sit huic,
Quàm strepentem clangentemq; improbum anserem,
Aut passerem, aut petulantem malamq; simiam?

De Oxybapho.

Et bibere sine mensura

In commune postea deierat oxybaphum,
Vinum hoc acetum merum esse,
At acetum plus altero vinum erat.

In Famelicos.

Zethum fertile Thebarum solum adire,
Et incolere iubet. Etenim meliores
Ibi, vt apparet, vendunt panes.
Tu verò famelicus, musica peritissimum
Celebres transire (iussisti) Athenas Amphionem.
Non sanè esuriem patiuntur facilè Atheniensium liberi,
Auram captantes, speq; vescentes.

In Gulosos.

Nobis autem duo sunt vocati
Ad coenam inuicti, Philocrates & Philoctetes.
Vnus enim cum sit ille, duos existimo
Magnos, imò verò & tres.

De Parasitis.

Qui alienum coenare primus inuenit, homo
Fuit is quidem plebeijs, vt videtur, moribus.
Quisquis autem vel amicum vel hospitem ad coenam
Vocauerit, & inde symbolum exegerit,
Exul fiat, nihil prorsus ex adibus suis secum auferens.

Adagia.

Patella balbuti barbara garrulitate,

Lasci-

Basciniunt pisces medijs in sartaginibus,
Illotis pedibus, humi cubantes, in aere domicilium habentes.

Properato propera, more ne lupino hians
Frustratus his, in posterum curras diu.
Quondam viris nos Cecropidis persuasimus
Sumptis vt armis montẽ Hymettum incurrerent:
Contraq; formicas cibaria tridui
Ferrent, velut fragmentula auri fusilis.

De Bellarijs.

Etenim iamdudum digerit niceteria,
Postea exiluit statim pinsens quicq; charisium.
Adsint nunc mulieres, vt totam noctem
Decimo infantis die saltetis.
Victoria pramium deponam tres tanias,
Quinq; poma, & nouem oscula.

In Piper.

Hac arrepto cocco Cnidio, aut pipere
Contusa, cum myrrha, viam conspergit.

Spini, aues,

Cum Amphidromia celebrantur, solent
Casei Cheronnesi frustum assare,
Et in oleo raphanum viridem coquere,
Tum pinguium feriunt agnorum pectuscula.
Deinde vellicant palumbes, turdos vna cum spinis,
Et cum moenis etiam sapias esitant.
Cirrasq; multos studiosè stringunt,
Meraciores calices hauriuntque plurimos.

In

In Ficus.

Aedepol vir optime ægrotabam,
Quod antè ficus ederam meridie.

De Piscibus in sartagine coctis.

Follis canes Vulcani custodes excitat.
Calidus sartaginem vapor solicitat.
-- Omnis speciosa mulier
Amans ventitat, cumque sartagine delicias agit,
Ornatu superfluo balneas amans, adolescentulorum illectrix:
Simulque Teuthis, & Phaleris puella.
Cum intestinis agninis se miscens,
Lasciuit, tripudiat, vt pullus sub iugo.
Flabellum autem excitat custodes Vulcani canes,
Callido exacuens sartaginis flatu.
Nidor verò ad nares excitatus
Assilit; Cereris puella subacta
Dactyli ventre concaui potu
Triremis attrahit impetus, imitata
Cœna præcurrens prandium: comedebant
Autem è sartagine sepias.

Pauo.

Etenim pauo, quia rarus, admirationi est.

Bellaria.

Bellarijs tibi referta mensa est, instructaque;
E quidem

Equidem non vbique bellariorum cupidus sum.

De Aqua.

Postquam septa gregis prætergressi sumus,
Et aquam fluminis corpus traiecimus,
Omnis quoque nostra vis aquarum flumine rigata est.

De Somno.

Somnus eum, cum male nutriatur aliunde, alit.

De Verbo saturare, vide sermonem de Incontinentia.

In Vinum Psythium.

Vinum psythium gustare me fecit suaue merum
Sitientem, postquam accepi, acrimonia pectus mordet.

Finis omnium quæ de Eubuli scriptis inuenta sunt.

MNESIMACHI VITA.

De Mnesimacho non usque adeò frequens apud authores bonos mentio fit. Quod igitur de eo in medium afferamus, non occurrit. Suidas autem mediæ Comœdiæ poetam fuisse eum affirmat. Meminerunt quoque ipsius Athenæus & Aelianus.

EX

EX COMOEDIIS MNESIMACHI

Mediæ Comœdiæ poetæ ſententiæ.

In Bœotorum voracitatem.

SVm enim Bototius,
Alienis paucis, his verò multis
ſcens.

De Cœnis.

Noſtinè tibi cum viris eſſe pugnandum?
Qui gladijs coenamus acutis,
Obſonij vice faces ardentes deuoramus;
Hinc ſtatim infert bellaria
Nobis puer poſt coenam Creticos mucrones,
Quaſi ciceres, iaculorumq; reliquias
Perfractas; vice puluinarium ſcuta
Thoracesq; habemus: præ pedibus fundas
Et arcus; catapultis verò coronamur.

In Theſſalorum voracitatem.

... Ex Pharſalijs
Venit quis, vt menſas deuoret?

Nemo adest; ſicubi ergo proſpera fortuna vitantur,
Aſſatam deuorant vrbem Achaicam.

De Piſcibus.

At ſupplico tibi, ne valde multa mihi præcipias,
Nec valde aſpera, nec argentata,
At mediocria patruo tuo. Quo pacto iam
Moderatiora, beate? Quomodo? reſcinde &
Decipe me, piſces mihi nuncupato
Piſciculum.

Adagium.

Et quod dicitur prouerbio,
Lac ſuppetit, res rara, gallinaceum, ac
Plumis reuulſis phaſianus approbè.

Sunt & hæc Mneſimachi; licet non admodum ſententioſa.

PRogredere de thalamis cupreſſiferis,
Foras Manes, ad forum procede
Ad Hermas, quò aduentitant
Tribuni; ad diſcipulosq;
Speciosos, quos ad inſiliendum
In equos exercet Phidon,
Et ad deſiliendum: noſti quos dicam.
His igitur renuncia frigidum eſſe
Obſonium, potum calidum, ſiccam
Maſſam, panes aridos, viſcera
Torrendo friabilia, ereptam
Ex ſalſamento carnem, elatum
Segmentum allantis, ſegmentum omaſi,

Chorda

Chorda aliud, aliud physica
Deuoratum ab ijs qui sunt intus;
Poculum absorptum, vinum
Iam prabibendo processisse, scordacem deficere,
Adolescentuli animum lasciuire,
Omnes qui sunt intus sursum deorsum omnia versare
Memor sis eorũ quæ dico ad ea quæ loquor aduerte
Oscitaris ipse? huc vide, an
Eadem sis recitaturus. Statim dixero
Rursum ab initio, iam venire,
Ac non cunctari, coquoq;
Fraudi non esse, cùm obsonia
Sint elixa, sint assata,
Vt singulatim enumerem, bulbus, oliua,
Allium, caulis, cucurbita, faba,
Chrium, phyllas, thunni frusta,
Siluri, acipenseris, squatina, congri:
Phyxicinus totus, coracinus totus,
Membras, scombrus, thynnus, gobius,
Elacatinus, canis pars posterior
E' carcharijs, torpedo, rana,
Perca, lacertus, sardinia, phycis,
Brinchus, mulus, cuculus, turtur,
Murana, phagrus, mullus, lebias,
Sparus, scarus, aolias, thratta,
Hirundo, squilla, teuthis, psetta,
Dracunculus, polypodium, sepia,
Orphos, carabus, escharus, aphya,
Acicula, cestreus, scorpius, anguilla;
Panes, aliaq; carnes, numero innumerabili, anseris, porci, bouis, agni, ouis, capri, capra, galli gallinacei, anatis, pica, perdicis,
Vulpecula; & a coena

Mirum dictu quot bonorum adsint numeri.
Cæterùm omnes qui domi sunt, mandunt, con coquunt,
Mordent, scindunt, secant, torrent,
Gaudent ludunt, tripudiant, coenant,
Bibunt, exultant, luxant, pungunt,
Coeunt; graues verò tibiarum valde
Voces audiuntur; cantat, clãgit cõturbat quisque
Reuertitur, anhelat: puellæ casia
De terra sancta, maritima, Syria,
Odor insignis narem mouet,
Thuris longi myrrha, calami,
Styracis & bari Lindij,
Cindi, misthi, minthi; eius
modi ædes caligo tenet omnibus
Bonis referta.

Finis omnium quæ de Mnesimachi scriptis inuenta sunt.

SOTADIS COMICI VITA.

Sotades Atheniensis, mediæ Comœdiæ & ipse poeta fuit, vt constanter affirmant Athenæus in septimo, & ex eo Suidas. Citantur apud Stobæum non rarò Sotadis sententiæ, & interdum Sotatis scribitur: quas, licet videri alicui possint alterius cuiusdam esse, omnes tamen huic nostro Sotadi subiecimus, sequuti exemplar Parisiense, in quo omnes illæ sententiæ adscriptæ nostro Sotadi fuerunt. Sotadis Cretensis φλυαρῶν, hoc est, nugacium carminum poetæ mentio fit, apud Strabonem, Plutarchum, Athenæum, Suidam, Gyraldum, Sotadis cuiusdam scripta a Plinio citantur lib. 5.

EX COMOEDIIS SOTADIS

Sententiæ quæ superſunt.

De Patientia.

SAepè aliquis iniquo tempore iniurijs affectus,
Ferendo facilè vincit ea, quæ ri nollet.

De Vita, quòd breuis ſit.

Bonus,
Bene natus & iuſtus, fortunatus quiſquis fuerit, inuidia capiat
Partem neceſſe eſt, in reprehenſionem cadat oportet, diues quiſpiam eſt valde? at perturbatio excipit
Eum, pius eſt aliquis? paupertatem id ei confert, magnus
Eſt quiſpiam artifex? infortunatus is fiet, et ſi vel
Maximè quis iniuſtus iudex exiſtat, is natura victus,
Iniquus dicatur oportet, diues aliquis eſt? magnã ruinam formidat.

Fortis

Fortis est, morbum experiri reueretur; per diem
Vnum vacatio a molestia, magnum est lucrum.
Quid enim omnino sumus? aut cuiate
De materia confecti sumus? coniectare apud teipsum, cum viuendi ritum reputaris,
Vnde sis natus, & quis sis, & quis denuò fias.
Nam cum ipse mundus sit omnium parens, & omnia procreet,
Non rectè dijudicat
Singulorum hominum negocia, etenim per terram mala semper nasci solent; &
Magnis malis oblectatur mũdus, omnes quotquot egregium quid voluerunt
Reperire aut machinalem fabricam, aut sapiẽtẽ
Doctrinam, ij malam ad
Mortem tandem adacti sunt, a genitore mundo
Male remunerati. Socratẽ mundus fecit sapientẽ,
Ac male Socratem in carcere mundus interemit.
Epota enim cicuta mortuus est, polypum cum vorasset Diogenes
Crudum mortem obijt; Aeschylum scribentem delapsa testudo oppressit:
Sophocles deglutito vua acino suffocatus interijt: canes Thracij
Euripidem deuorarunt: diuinum Homerum fames absumpsit
Caeca res est, & misera, hominis vita,

De Felicitate.

Pauperem misericordia, diuitẽ inuidia sequitur;
Vita autem media & temperata iusta est.
Suis rebus contenta virtus, voluptatem iustam adfert omnibus.

In Mortem.

Portus est mortalium omnium, mors.

In Dolorem.

Dictum quoddam circunfertur foeminas,
Dolorem, apud quos alatur & crescat,
Apud eosdem libenter quoque manere.

De Coquis.

Squillas primum accepi, coxiq; in sartagine
Eas, deinde magnus mustelus a me prehensus est,
Assaui medium: reliquam grymeam
Coquam, faciens trimma nigrum.
Clauci pragrandia duo fero capita
In magna olla, simpliciter illis adijciens
Herbam, cuminum, cum sale, aquam, & oliuum.
Postea & lupum emi pulcherrimum,
Qui in salsugine & herba coctus mollis erit, pinguisque,
Referens quis sit, mox eum veru confige.
Mullos pulchros emi, pulchrosq; turdos,
Eos super prunam posui, sicut erant,
Addidiq; salsugini pingui origanum.
Tum accepi quoque sepias & loligines;
Vrbanum quiddam visa est mihi loligo condita,
Sepiaq; ala cocta simpliciter.
Trimmatium ex his floridum conciliaui,
Variumq; quod coctum insuper est:
Opiparum illis apposui succum.

Postea

Postea congrum emi valde crassum,
Eumq; in salsugine florida suffocaui
Gobios quosdam, & saxatiles aliquos
Pisciculos, horum auulsa capita
Aliquanta protinus farina conspersi,
Eandemq; viam squillis mox dabo.
Amiamq; viduam feram pulcherrimam
Folijs ficus, oleoq; pauco prorsus coxi,
Origanoq; vndiq; inuolui,
Et velut titionem multo cinere occultaui.
Apuamq; cum amia accepi phalaricam;
Et vix vnum aquæ cyathum statim affundo
Incidens minutatim, deinde herbas plurimas
Etsi duas cotylas capiat lecythus, inuerto.
Quid restat? nihil aliud. Sic se habet ars,
Nec ex descriptione, neque etiam ex actio.

Paropsis.

Paropsis esse videor Crobylo:
Nam tractat illam, postea me vescitur.

Temperantia.

– Quod fortunæ maximum est;
Vt minimum quid putandum est: quodque non adest,
Id nolis, nam neque tuum est: vtrumque manere
Nescit, nihil enim firmum manet. Si sis opulentus, ac
Quotidie pluribus inhies; tantum es
Pauper, quantum superuacanea cumulas. Qui pauper,

Vult possidere, ac diues plus habere, pariter habēt
Ipsi animos anxiè solicitos.

In Superbiam.

Et si rex natus es, vt mortalis audito;
Si longū excreas pituita id fit, qua nimia teneris:
Si bene vestitus es, hac ante te gestauit ouicula:
Si geris aurum, is natura fastus est:
Si diues es, id temporis iniqua vi factum est:
Si superbis, id amentia fremitus est;
At si temperans es, id munus deorum est.
Temperantia prasens adest, si tibi modereris ipse.

Prudentia.

Moeror a te procul aufugiet,
Bene sentiente, imitare quod est honestum, & manebis
Inter mortales optimus. Lex est Deus: hanc semper omnino fac colas.
Hospes esse debes eorum qui bene sapiunt: vbi honestam vitam degas, permane, & prospera vteris
Fortuna rebus in omnibus obserua rebus omnibus qua sunt decora, & eadem
Fac imiteris sermonem bonum acceptum serua
In tuū vsum, hoc tibi si eueniat, charū sit, vt nihil Indecorè facias.
Quo vita tranquillitatem habeas perpetuò.
Bonam a Dijs valetudinem, quandiu vixeris, precare.

Finis omnium sententiarum, qua de Sotadis scriptis inueniri potuerunt.

EPICRATIS COMICI VITA.

Epicratis Ambraciota, & ipse mediæ Comędiæ poeta, cuius generis plerasque etiam Comœdias scripsit. Fuit autem Antiphane Comico posterior. Nam versus ex eo transtulisse Epicratem, Author est Ath[illegible] libro sexto: vbi de seruis agens, & Ant[illegible] nis & Epicratis authoritatem adducit. [illegible] tonem, Speusippum, & Menedemum ph[illegible] sophos cur sugillauerit, in subiectis exp[illegible] nitur sententijs. Citatur Epicratis poema & ab Aeliano in Animalium historia. Alius fuit Epicrates orator celebris, cuius in oratione prolegatione meminit Demosthenes. In eum etiam extat illud Platonis Comici:

ἄναξ ὑπήνης ἐπίκρατες σακισφόρε

Vbi sacesphorum appellat, quòd propensam barbam ferret vsque ad pectora, quasi scutum præ se ferens. Author Volaterranus in decimo quinto.

EX COMOEDIIS EPICRATIS

Sententiæ, quæ superſunt.

De Porcellis.

INter hæc ego
Iactabit haud talem coquum ſe paſcere
Vnquam profectò Sicilia in piſces puto.
Carnes ego nũ volui porcellorũ &
Vidi optimè ob flammas ego illas floridas.

De Seruis.

Quid enim inimicius, quàm puer appellari inter pocula,
Idq; imberbi adoleſcentulo cuipiam?
Et matulam ferre, videreq; quæ ſunt appoſita.
Placentas ſemeſas, auiculasq;,
Quibus nec acceptis fas eſt ſeruo veſci,
Vt aiunt fœminæ, quiſpiam congios bibat,
Ventrioſum appellant, & temerarium, quiſquis ederit
Noſtrum quid horum.

De

De Laide.

Hac verò Lais ociosa est & bibax,
Quæ quotidie bibentes & edentes cernat
Solum, eademq́; mihi passa videtur
Quæ aquilæ, hæ enim iuuenes cum sunt,
E' montibus oues comedunt & lepores,
Robore suo eos sublimè corripientes:
At cum senescunt eæ iam, tum
Super templis sedent, male esurientes;
Ac id demum prodigiosum censetur.
Igitur Lais quoque rectè prodigium censeatur.
Ipsa enim cum teneriuscula erat & iuuenis,
Stateribus exacerbabatur.
Vidisses sanè citius Pharnabazum quàm eam.
Postquam verò iam multis annis longum cursum egit,
Harmoniasq́; corporis perdidit,
Videre facilius est eam & amplexari,
Quoqucq́; versum iam ad bibendum exit.
Accipitq́; & staterem & triobolum,
Admittit etiam & senem, & iuuenem,
Ita sanè mansuefacta est, vt, charissime,
Argentum ex manu iam capiat.

De Muribus.

Postremò subijt lana detestabilis,
Per Persephattam, per Dianam deierans,
Esse hanc puellam, virginemq́; & integram
Pullus vt indomitus, at cauus erat murium.

In Platonem, Speusippum, & Menedemum philosophos.

Quid Plato, Speusippus, Menedemus?
Quibus nunc de rebus disserunt? quæ curatio?
Quæ apud quos disputatio peruestigatur?
Id mihi scitè, si quid resciens venis,
Dic, te per Tellurem rogo At planè de his certè noui.
Panathenaïs enim intuitus gregem adolescentum
In gymnasijs Academiæ, audiui
Disputatiões ineffabiles alienas. De natura enim
Præcise definientes, seiungebant animantiumq;
Vitam stirpiumq; naturam, olerumq; genera: &
Tandem inter hæc cucurbitulam examinabant,
Cuius esset generis Ecquid tandem definierunt,
Et cuius generis esse plantam, declara,
Si quid tenes. In primis omnes
Mutitum restiterunt, & vultu demisso
Tempus non exiguum curiose considerebant; ac derepentè
Inclinatis & quærentibus adolescentibus,
Quispiam olus esse dixit rotundum; herbam
Alius, plantam alius, quæ audiens
Medicus quidam Siculus oppedebat eis, vt nugantibus: atque grauiter
Irati sunt, seq; ludibrio haberi exclamarunt.
Nam in talibus scholis talia facere
Indecorum; nec adolescentibus cura erat.
Plato verò præsens admodum mansuetè nihil
Commotus, iussit eos rursum breuiter finire cuius esset generis. Illi autem partiebantur.

Finis omnium quæ de Epicratis scriptis inuenta sunt.

HENIOCHI COMICI VITA.

Eniochus patria fuit Atheniensis, professione verò Comicus, mediæ Comœdiæ, Plurimas eius fabulas nominat Suidas; inter quas est θωρύκιον, quod proditoris cuiuspiam præfecti militum nomen fuit, a quo fabula nuncupata est. Faciunt eius mentionem Athenæus, Theophilus Græcus in Lexico, & Stobæus loco de Republica, vnde etiam versus eius adscripsimus.

EX COMOEDIIS HENIOCHI Sententiæ.

De Faba elixa.

Mecum animaduertēs, per deos,
Quantum differant ficus a nasturcio, tu ne
Pausoni dicas, vt penuriam insonet,
Et me rem percontabatur valde difficilem.
Habens autem multas curas inexplebiles,
Dic ipsum. Nam non sine risu est fortasse
Faba elixa, propterea quòd ventrem
Inflat. At ignis non gratus, quibus cognita est
Res Pausonis. Sic semper
Circa legumina demum hic versatur sophista.

De Cothone poculo.

Ad bibendum infundat aliquis, accipiens igne genitum
Rotundum, breuibus auribus crasso ore cothonem
Gutturis ministrum.

De

De Republica.

Ego nomen singularum statim
Dicam: Vniuersa autem variæ sunt vrbes,
Quæ longo iam tempore desipiunt.
Forsan aliquis interrumpat dicens; Curnàm hoc in loco
Nunc sunt? Hic interrogans a me audies;
Omnis quidem hic in circuitu locus est
Olympia; sed scenam illam inspice illic,
Quæ Pythica quidem scena aspectu existimari potest.
Esto; quid illic verò ciuitates agunt?
Aduenerunt immolatum Eleutheria, id est, libertatis sacra,
Postquam a tributis semel propè liberatæ sunt.
Deinde ab illo sacrificio perdidit
Ipsas hospitio excipiens indies
Imprudentia, multo iam tempore ipsas occupans.
Cæterùm duæ quædam mulieres ipsam perturbabant,
Semper conuersantes: Democratia alteri
Nomen est, alteri verò Aristocratia:
Quarum culpa iam frequenter deliquerunt, & debacchata sunt.

De Porcis lactentibus.

Bos erat aneus, non denuò coctus,
Ac hic apprehensa forte sue lactante sacrificauit.

Finis Sententiarum Heniochi.

EPHIPPI
COMICI VITA.

Ephippus quoque Atheniensis, & mediæ Comœdiæ poeta fuit. Fabulas ipsius duodecim adducit Athenæus, inter quas ea quæ φιλύρα dicitur, maxime celebris habita fuit. De Ephippo historico, vide Athenæum & Suidam. De alio quodam meminit Plinius.

EX COMOEDIIS EPHIPPI

Sententiæ.

Tibiæ.

Communicat enim, adolescentule,
Cum tibijs nam si musica, & simul in lyra
Nostris ludis puerilibus, Vbi enim bene
Adaptarint ijs quibus cum versantur, modum,
Tum maxima delectatio inde inuenitur.

Quòd hilare & Hileon idem esse dixerint veteres, ostenditur.

Deinde cum minus iucundus ingressus
Fuerit nostrum aliquis, illa suauiter demulcebat.
Oscula figebat, non compresso ore
Velut hostis, sed horum passerculorum
Instar molliebat, & consolabatur.
Fecitq; statim hilarem, omnem pepulit
Ab eo tristitiam, & reddidit Hileon.

De Brassica.

Cur postea

Corona nulla est ante ianuam sita,
Naresuè nidor nullus altus verberat,
Amphidromia cum sint, quibus mos omnibus
Assare frustra casei sit Isthmij:
Vluisq; latas brassicas lixare oleo,
Prapinguium agnorum ferire pectora;
Turdos, palumbes, vellicare passeres,
Mollire mox cum sepijs loligines,
Condire cirros plurimos prudenter &
Meracioris ebibisse pocula plurima.

De Cimbijs.

Dionysij actus didicisse necesse est,
Ac Demophorontis, quos in cotylam edidit.
Dicesq; in coena; spectator mihi ferat aliquis
Ex adytis, inde osculabor & fores,
Ac cymbia conuiuans parabo vt Euripides.

In Ebrios.

Vini te multitudo vt multa loquaris cogit,
Itaq; vera dicere aiunt ebrios.
-- Cum enim quis iuuenis,
Alienum obsonium ingressus comedere didicerit,
Sineq; symbolo manum admouerit cibo,
Eum arbitrare tibi noctis sermonem dare.

De Vino.

Amo Pramnium Lesbi vinum,
Nimis autem copiosa gutta ebibitur Lesbia.

Ada-

Adagium.

Vt, quemadmodum fungi ſolent, te ſuffocem.

In Platonem, & nonnullos ipſius familiares.

Poſtea conſiſtens promptus iuuenis
Ex Academia quidam ſub Platone: &
Bryſon audax labris capiens pecuniam,
Perculſus neceſſitate capiente onera arte,
Simul habitans quis non valens abſurda dicere,
Bene quidem nouacula raſos habens capillos,
Beneq; demittens barba longitudinem,
Bene in calceo multis poſitis, ſub nouacula
Tibia habens veſtem æquis reuolutionibus,
Tumore veſtis bene armatus,
Figuram dignam imponens baculo
Alienam, non propriam, vt mihi videtur,
Dixit, viri Athenienſium agri.

In Tirynthios, quòd vinoſi ſint.

Neſcis me, quæſo per deos, Tirynthium
Argiuum, qui ebrij ſemper pugnas
Quot pugnant? ſcilicet ſemper cum fugientibus.

Finis Sententiarum Ephippi.

STRATON

FVit & Straton (quidam Strato scribunt) mediæ Comœdiæ poeta, cujus rei duas quoque citant Comœdias Suidas & Athenæus. De alijs Stratonis nomine claris, consulendi sunt Plinius, Suidas, Epigrammata Græca, & alij.

EX

EX COMOEDIIS SRATONIS

Sententiæ.

De Coquo.

SPhingem marem, non coquum domo
Accepi, omnino enim nihil, per deos,
Quæcunque dixerit, intelligo, noua verba
Commentus adest: vt enim ingressus est,
Statim me rogauit intuitus acriter,
Quot mortales ad coenam vocasti, dic mihi.
Ego vocaui mortales ad coenam? deliras.
Mortales istos me cognoscere putas?
Nemo, aderit, scilicet enim, per Iouem
Reliquum est mortales ad coenam vocare.
Nec igitur aderit epulo? Nullus prorsus,
Arbitror equidem, epulo, ita ratiocinabar.
Veniet Philinus, Moschion, Niceratus,
Hic, ille: ac nomina recensebam,
In ijs non erat vllus mihi epulo.
Nullus aderit, inquam. Quid ais? nullus?
Valde indignatus est, quasi accepisset iniuriam,
Nisi epulonem inuitarem, inepta res planè.
Nec ergo mactas Erysichthoni? Non inquam ego.
At bouem latispontem? Non macto bouem miser.
Bidentem igitur sacrificas? Non equidem per Iouem,

Vllum horum : at ouiculam. Nonnè, inquit,
Bidentes oues sunt? Nescio, nec scire velim
Rusticior sum; quare mecum simpliciter colloquitor.
Homerum nescis ita loqui? Ac valde
Coquo licebat ipsi, quod volebat dicere.
Verùm quid id ad nos, per Vestam?
Iam ad illius reliqua mihi aduerte.
Homericè enim me perdere cogitat.
Ita loqui consueui. Ne tamen loquaris
Ita, saltem apud me dum fueris. At quatuor
Ob drachmas euertam tibi inquit, consilium.
Molas cedo huc. Id verò quid est?
Hordea. Quid igitur attonite, ambages loqueris?
Candidus adest? candidus nequaquam, album sic
Dices; planius quod vis, mihi dicas.
Bardus quidem es senex, inquit, cedo salem,
Is est candidus, quin monstra gutturnium.
Aderat, mactabat, alia verba dicebat,
Talia quæ, per Tellurem, nemo audiendo intellexisset.
Frustra, partes: diptycha verua, vt me oportuerit
Phileta libros euoluentem
Considerare singula quid valerent verba.
Verùm enimuero ei supplico iam vt morem mutet,
Hominumq́ modo loquatur, at eum non citò
Persuaserit Suada, certus sum, ita me Tellus amet.

Finis sententiarum Stratonis.

ERIPHVS

ERiphus, Comœdiæ (vt videtur) mediæ poeta, & Antiphane posterior fuisse scribitur. Eo enim loco in Dipnosophistis, vbi Athenæus de citrio varias scriptorum sententias repetit, inter cætera Eriphum ait in fabula Melibœa integros Antiphanis surripuisse versus.

EX COMOEDIIS ERIPHI

Sententiæ.

De Theſſalis.

NOn hæc Corinthus, neque ipſa Lais, ò Syre,
Nec ſplendidi Theſſalorum cibi hoſpitum ſunt;
Quorum non expers fuit quondam hæc manus.

De Pomis.

Heſperidum genus putabam per Dianam;
Hæc tria mala aurea eſſe dicunt
Sola. Rarum bonum eſt vbique, &
Precioſum Pro his ego vix obolum
Darem cuncta enim examino, ipſa punica mala
Quàm ſint generoſa. In Cypro Venerem
Aiunt arborem hanc plantaſſe ſolam. Poſtea
Plantaſſe precioſa iſta ſola Berbia.
Hæc ſic habe, non plura certè repperi.

De Vino.

Sermo enim antiquus fert, non inutilis:
Vinum aiunt ſenibus, pater,
Perſuadere, vt etiam inuiti tripudient.

Sententiarum Eriphi finis.

MOSCHION

ETsi destituimur in Moschionis vita conscribenda veterum magna ex parte scriptorum testimonijs: tamen vnius Clementis Alexandrini authoritate, & sententiarum eius vtilitate moti, in primis dignum censuimus, vt nostrorum Comicorum classibus insereretur. Clemens enim lib 6. Strom. eū Comicum appellat, & versus ex eo adducit. Stobæus quoque plurimas nobis communicauit sententias Moschionis.

EX COMOEDIIS MOSCHIONIS Sententiæ, quæ superſunt.

De Magiſtratu.

TV tantum abſque ira ſuſcipe verba,
Quæ tibi profero: Auditorem enim nactus
Seruo beneuolum, non fruſtra narrabitur.

De Vita.

Verè beatiſſimus omnium ille eſt,
Qui perpetuò vitam egit æquabilem.

Quòd inconſtans ſit hominum proſperitas.

Qui vir magnus antea fuerat intellectu, gloria, & genere,
Princeps Argi nunc inops ex regia
Familia natus, ſupplex germen ferre coactus,
In regionem hanc venit miſerabili vultu,
Omnibus oſtendens, quòd fortunæ ſplendor

Possessionem hominibus instabilem tradit.
Quem nullus non ciuis inspectum misericordia
prosequutus est:
Cuius autem manum, & colloquij officium
Ei communicauit, et oculos macerauit lachrymis,
Condolens ob eius fortunam. Dignitas enim si lædatur
Pristina, multos homines ad misericordiam commouet.

Admonitio.

Celebre istud hominum dictum est:
Quod alium admonere labor sit modicus;
Iniuriam verò sibi ipsi illatam sustinere,
Omnium esse maximum inter homines onus.

De Fiducia & libertate dicendi.

Haud vnquã tamen quod rectum & iustum est,
Silens præteribo. Quippe nutritam
Palladis inter ciues, in vrbeq; Thesei
Candidè seruare decet loquendi libertatem.

De Sepultura.

Sinite iam terra mortuos operiri;
Et vnumquodque, vnde in corpus venit,
Illuc redire; spiritum quidem ad æthera,
Corpus verò in terram. Non enim possidemus
Illud proprium, sed quãdiu hãc vitam incolimus;
Deinde restituendum est suæ parenti.

In defunctos non esse exercendam contumeliam.

Temerariũ est, vmbram hominis mortui affligere.

Viuos castigare decet, non mortuos.
Quid iuuat mortuos, qui non amplius sunt, affligere?
Aut mutam terram contumelijs afficere?
Postquàm enim qui iucunda discernit,
Et molesta, sensus iam interit,
Corpus in posterum instar est surda petra.

De Audacia.

.. Etenim in napis paruo
Ferro magnus amputatur picea ramus:
Et exigua copia infinitum exercitum superant.

Finis omnium quæ de Moschionis scriptis inuenta sunt.

EVPHRON.

NVmeratur inter Comicos etiam Euphron. Fit autem eius mentio apud Athenæum aliquoties: apud Suidam, & Stobæum. Vnde etiam has ipsius sententias collegimus.

EX COMOEDIIS EVPHRONIS

Sententiæ.

In Intemperantiam.

NOn eſt adultero vllum maius malum;
In aliorum enim infortunijs delicias quærit.

In Prodigalitatem.

Nam qui ſuam malè gubernat rem familiarem,
Dic quæſo quomodo ſeruabit is alienam?
Haud facilè cumulus aceruatur etiã longo tẽpore.
Vno verò die facilè diſſipabitur.

De vita, quòd breuis ſit.

O' Iuppiter, cur tam breue tempus cum nobis dederis viuendi,
Id nos abſque moleſtia tranſigere non ſinis?

Periurium.

Nouos mihi ex dijs ſuppedita deos,
Ne ſæpius veteres offendas periurijs.

De Coquis.

E' multis, quos ego habui, diſcipulis, Lyce

Quòd ſemper aliquid intelligerent, & animum
haberent,
Abis factus coquus domo.
Menſibus non integris decem longè iunior.
Nereus autem Chius congrum dijs apparauit;
Horium candidum, non flauum faciens Chariades.
Ius nigrum primus parauit Lamprias,
Farcimina Aphthonetus, Euthynus lentem;
Ex optimis confectionibus quæſtus colligunt.
Hi poſt illos ſapientes veteres
Extiterunt noſtri alteri ſeptem ſapientes.
Ego verò cernens multa iam anticipata,
Primùm reperi furandi artem, ita vt neo
Me oderit Ob id non anteceptum
Proprium quid reperiſti, idq́ tuum eſt.
Quintum ſacrificabant diem Tenij,
Cani ſenes, qui longa nauigarant nauigatione,
Tenerum hoedum & puſillum, non licuiſſet auferre
Tum carnes albas, ne magiſtro quidem.
Alteros ſuppeditari duos hoedos coegiſti.
Non iecur eorum ſæpenumero ſectum,
Demiſſa clanculum inferius vna manu,
In lacum proiecisti temerè renem.
Magnum feciſti tumultum renem non habebat,
Inquirebant, demiſſis oculis, qui aderant, conſiderabant iacturam
Mactarunt alterum; ſecundi planè
Cor vidi te deuorantem ego.
Iamdudum magnus es; certus ſis, ne hiet enim
Lupus fruſtra, tu ſolus artem reperiſti.
Fidis veruculos totum diem quæſitos,
Duos piſces crudos in igne extinctos;

Ac geminis chordis cantillatas. Intellexi
Actum illum; id verò ludus est.
Carion cum exactoribus ministraueris,
Non licet ludere, nec ea quæ didiceris ostendendo
Heri periclitatus es, nec vllus tibi erat
Gobius, nullumq́ hepar, sed stulti erant.
Cerebrum illis nutabat. Opus est autem Carion,
Vt ad hanc plebis fecem accedas,
Dromonem scilicet & Cerdonem, & Soteridem,
Mercedem dantes, quantam existimas omnino
Iustam esse. Neque nunc imus
Ad nuptias, hoc esse sentis pessimum.
Meus discipulus es, & bonus coquus.
Occasio optata iuuet, auarus
Senex, exigua merces, si te prehendam
Nunc nihil edentem, & carbones
Disperdas, age nunc intrò hic ipse
Senex graditur, qui parum videt.
Magnus sophista est, sed nihil ad medicorum superbiam.

De Metra.

Praeceptor meus metram apparatam
Apposuit Callimedonti, comedentemque pariter
Saltare fecit, vnde locusta dictus est.

In Nicodemis regis Bithyniæ apuas.

Discipulus ego factus sum Soterida,
Mari dierum Nicomedi qui procul
Viam moranti duodecim grauissima &
Apuam requirenti inter ipsa frigora,
Suaues ... exclamauerint;

 Quomodo

Quomodo hoc fieri potest? foemina accepta
Rapa, minutim eam dissecuit valde,
Figuram ipsius apuæ repræsentans ea:
Ebullireq; infuso oleo, cum sale
Faciens decenter: papaueris desuper inspergens
Grana nigra duodecim numero,
Circa Scythiam audiuit desiderium;
Et Nicomedes comesta rapa
Apuæ, laudem narrauit amicis.
Nihil a poeta differt coquus:
Mens enim vnicuique horum ars est.

Adagium.

Midas mugil est, ieiunus obambulat.

Lumbi.

Fibraq; sunt & lumbus hac vti ferunt,
Quas disce primùm cadere, inde inspicere.

Finis Sententiarum Euphronis.

TIMOCLES

Timoclis nomine duos Comicos fuisse, author est Suidas: quorum prior quidem Atheniensis fuit, cui sex fabulas assignat. Alterius patria ignoratur: Comœdiæ autem eius vndecim numerantur. Inter quas quæ πορφύρα dicta est, ab Athenæo etiam Xenarcho adscripta quondam fuisse dicitur. Quia verò apud Athenæum & Stobæum (vnde, quas hic damus, sententias deprompsimus) vnius Timoclis nulla differentia adiecta mentio fit: nec in his seiungendis curiosus fui. Verum sub vno nomine & fabulas & sententias collocarri placuit.

EX COMOEDIIS TIMOCLIS

Sententiæ quæ superſunt.

De Panibus.

DIſcens ſcapham calidam, iacentemq́;,
Calidis veſcens furnaceis (panibus.)

Muſteli.

Muſtelos & batidas, & quæ alia genera
In pingui trimmate parant.

In Demoſthenem.

Iube ergo nunc magis omnia alia quàm
Hæc me dicere, & libentius id faciam.
Et primùm quidem tacebit tibi Demoſthenes
Iratus, qualis Briareus,
Qui catapultas & haſtas ſimul vorat,
Vir orationes exoſus, nunquam quicquam
Contrarium referens, ſed toruè videns.

De Meretricibus.

Sed infelix ego

Qui

Qui Phrynam amaui, quando primum capparim
Legebat, non habebat quæ nunc habet.
Permulta ego absumens diebus singulis
Claudebar extra ianuam.

Et in eo actu, qui Doreus Tautoclides inscribitur, idem ait Timocles:

.. Miserrimè autem
Dormiunt veteres amicæ, Nannium, Plangon, Lyca,
Gnathæna, Phryne, Pythionica, Myrrhina,
Chrysis, Conallis, Iereclea, Lopadium.

De dijs Aegyptiorum.

Quomodo igitur ibys aut canis possit seruare,
Vbi deos auxilium rogantibus promittentes,
Pro dijs non colentes, non dant confestim
Poenas certas, felis ara hunc attriuerit.

In Callimedontem.

.. Postea Callimedon repentè
Locusta progressus est, me intuens;
Videbatur tamen, quasi cum alio quodam viro
Loqueretur. Cum verò nihil planè intelligerem
Eorum quæ diceret, innuebam frustra.
Sic huic oculi vident seorsum, vt apparet.

In Corydum parasitum.

Forum abundans obsonijs videre, diuiti quidem

Res est suauissima, pauperi miserrima.
Nam etsi non vocatus Corydus, vt mihi videtur,
Est: obsonat tamen apud eum domi.
Ridiculus sanè erat affectus, quatuor nummos
Habens areos homo, anguillas aspexit,
Thunnos, torpedines, locustas, hemodia.
Hac ambiens omnia, rogabat quanti.
Audiens autẽ ad membradas aufugit perterritus.

In Ctesippum.

Ctesippus Chabrij non amplius ter tondetur,
Apud mulieres splendidus, non item apud viros.

De Vino.

Impellam autem equum æquo poculis
In magnis omnem veritatem dicere.
Non per Bacchum, tu bibis æquum cum aqua.

Parasiti.

Aperite actutum fores, vt ad lucem
Simus magis perspicui, perlustrans si forte
Velit matronarum arbiter numerum recensere,
Vt lex noua iubet; quod facere solitus est,
In ijs qui dant epulas; at contrà oportebat,
Incoenatorum ædes rimari.
Itanè ego de parasito permittam cuipiam
Maledicere? minimè, nullum est enim
In eiusmodi genus vtilius.
Quod si quid est inter honesta sociorum amans,
Vir parasitus id perpetuò facit.
Amas: amandi socius vltro fit.

Agis

Agis quidpiam? vna presto aget quæ sunt agenda,
Id ex officio deberi nutrienti ratus.
Laudator admirabilis amicorum, supra modum.
Gaudent coenarum voluptatibus asymbolis.
Quisnàm, nõ dico mortalium, aut heros, aut deus,
Improbet talem viuendi rationem?
Vt verò multis verbis diem nõ conteram longius,
Argumentum quoddam maximum me dicturum arbitror,
Parasitorum vt in honore est & precio vita.
Præmia enim eadem atque ipsis qui Olympia
Vincunt dantur, benignitatis ergò,
Cibatus; non enim symbola ponunt;
Hæc omnia prytanea nuncupantur.

In Paupertatem.

Paupertas enim multos sæpe cogit,
Vt quædam se indigna præter naturam committant.

In Smigolam.

Smigolas non videtur tibi incedere
Florentibus iuuenibus irritatus?

De Liberis.

Quicunque patrem timet, ac reueretur,
Is in bonum ciuem euadet proculdubio,
Et hostibus incommodare poterit.

Quòd non sit exercenda contumelia in defunctos.

Mortuos misericordia benignum numen sequitur:

Viuentes autem aliud iniustissimũ, nẽpe Inuidia.

In Tithymallum parasitum.

Tithymallum ipsum & parasitum aduocant,
Iam læta signa quid futurum, surgite
O' vos amici, sic reuixit iam diu
Qui mortuus Tithymallus affuit, quòd is
Vix octo mandebat lupinos obolo
Inedia non illum necauit per Deos
Amice, sed multum bibens id pertulit.

In Epistolis (fabula nomen est.)
Heu me misellum sic feram? non per Deos,
Nunquam Tithymallus quod cupit comedere.
Sic truncus haud vestem cupiuit sumere.
Nilus farina, non Corydus sine symbolo
Mouere dentes. . .

De Tragœdia, quòd multis modis vtilis sit ad vitam.

Amice audi, quippiamnè tibi dicturus sim.
Homo animal est laboriosum natura,
Ac multas molestias in se vita circunfert.
Itaque solationes curarum reperit
Has: mens enim suorum malorum oblita,
Ex alienisq; nacta solamen,
Cum voluptate erudita simul abit.
Tragicos enim primum, si lubet, considera,
Vt omnibus prosunt, qui enim pauper est,
Cum se pauperiorem Telephum intellexit
Fuisse, tum pauperem facilius fert
Qui verò laborat insania, Alcmæonẽ speculatur.
Lippit quis, cæcum Oedippum intuetur.
Cuiquam filius moritur? Niobe leuat.
Claudus est aliquis? Philoctetem intuetur.

Senex quis infortunatus est? Oeneum cogitat.
Omnia enim maiora, quàm patitur,
Infortunia cum quis aliis accidisse reputat,
Suas ipse calamitates facilius tolerat.

Mensa.

Vt verò sublata est
Vita nutrix, famis hostis, custos
Amicitia, medicus eneruata esuritionis,
Mensa Superfluè per coelum,
Cùm mensam breuiter dicere licuisset.

In Hyperidem rhetorem gulonem.

Demosthenes talenta quinquaginta habet?
Beatus, si quidem nemini partem det.
Metrocles quoque auri multum accepit:
Amens qui dat, qui accipit beatus.
Accepit & Demon & Callisthenes;
Pauperes erant, vt veniam mereantur.
Dicendique grauis Hyperides habet;
Piscarios hic nos ditabit
Cupediarius, vt lari sint Syri.

In Chærephontem.

Demotio assistere ipsi visus
Argento non pepercit, sed nutrijt
Volentem. Charephon enim prorsus
Domum ire statuerat miserrimus.
Et profectò hoc est solum dignum,
Paramasetem capit bifidum lignum.
Neque enim concinuus est, nec planè egenus

Finis Sententiarum Timoclis.

XENARCHVS

IN Comicorum numerum etiam Xenarchus reponitur ab Athenæo, & Suida. At verò Aristoteles in Poetica, minorum scriptorem fuisse Xenarchum prodidit. Suidas, vbi Sotadis Cretensis meminit, quem iamborum scriptorem in lingua Ionica vocat, subiungit, eodem scribendi genere etiam Xenarchum vsum fuisse. Vtriusque autem, Aristotelis inquam & Suidæ sententiæ conciliantur in doctissimis Vincentij Madij in Aristotelis poeticam Annotationibus.

EX COMOEDIIS XENARCHI

Sententiæ quæ superſunt.

De Bulbis.

Occidit
Domus, infirmam dominorum experta
Fortunam, quam malus Genius vexauit, Pelopidarum
Nuptabunda gens, nec tamen incuruiceruica, Dea
Cereri familiaris ſatus bulbus amicis
Coctus non vſque adeò prodeſſe ſolet.
Fruſtra autem obſcuris maris vorticibus volutus
Venelorum polypus, attractus hominum
Retibus ex filis qua ad rotam a puellis nentur,
Implet patellam profundam ventre ſuo amplo.

In Mulieres.

Nonnè ſunt in cicadarum genere mares beati,
Quorum fœminis nihil vocis ineſt?

In

In eos qui precioſarum amicarum & & liberarum mulierum ſunt ſtudioſi.

- Grauia & intolerabilia
Iuuenes perpetrant in vrbe.
Quando lupanari eſt videre in quolibet,
Vbi puellæ ſunt decentes plurimæ,
Ibi quæ apricantur, indutas pectora.
Deinde nudas ordinatas commodè.
Quarum licet elegiſſe quam quis maluit,
Tenuemuè, craſſam ſeu rotundam, ſeu magis
Sit grata longa, ſqualida, ſeu gaudeas
Maturiore, ſeu vetuſta, ſeu magis
Gaudes puella vel mediocri: non opus
Eſt clam ſubire ſcalam vt expetiueris;
Subire tectum per foramen haud opus,
Nec cum paleis ſit vt ferare intrò hic opus.
Ipſe coegerunt, trahunt, hæ ſupplices
Senes rogarunt pluribus & illecebris,
Patercula At iuuenibus, ò dicunt herei.
Tutò licet quas ſingulis frugaliter
Habere per totum diem quouis modo.
Quas nec licet videre, nec videntibus
Palàm videre, ſemper at tremèntibus,
Pauentibus in manuq; animam geſtantibus.
Quomodo, ò cærula Venus,
Dare operam liberis poſſent Draconis legum
Si quando mentio eis incidat.

In Theſſalos.

-- Septem autem capanas nutriui
In Olympiam. Quid ais? Capanas Theſſali.

Omnes vocant plaustra, intelligo.

In venditores piscium.

Poeta verò, nugæ sunt, nihil
Noui enim inueniunt, sed transfert
Eorum quisque hac sursum, deorsum.
Piscarijs verò magis philosophum genus
Non est vllum, neque minus sanctum.
Quia enim eis non amplius licet
Aspergere, ac vetitum est id lege,
Si quis Deorum inimicus homo, valde
Siccatos intuitus sit pisces, pugnam
Eis ex industria magnos conserit,
Plagæq; sunt: ac lethalem ictum accepisse
Cum videatur, decidit; & animi deliquium pati visus,
Iacet veluti mortuus cum piscibus.
Inclamat quis aquam, ac statim gutto elato
Ex socijs quisquam paululum omnino super hunc
Effundit, ac semel ex alto super pisces;
Diceres eos iamiam captos fuisse.

De Cantharo.

Tu ne puer fundas in argentum mihi
Valde profandum, agamus ast in cantharum
Infunde puer & per Iouem & per cantharum.

Adagium.

Iusiurandum foeminæ in aqua scribo.

Finis Sententiarum Xenarchi.

DAMOXENVS.

DAmoxenus patria Atheniensis, professione Comicus fuit. Quamuis autem plures scripsisse fabulas videatur: tamen duarum solùm mentio fit apud Athenæum, & meminit Suidas.

EX COMOEDIIS DAMOXENI Sententiæ.

De Elephante poculo.

Tibi si non satis est, elephantum veniferens
Puer. Quid per Deos id est? Fluentum
Bipatens. Quàm capax? Trium congiorum,
Alconis opus Præbibit autem mihi nunquam
In cypselis libenter.

Coquus.

Epicuri, verò me
Vides, qui fui discipulus sapientis, apud quem
Duobus annis & mensibus non totis decem,
Talenta ego tibi cumulaui quatuor.
Id verò quid est? dic mihi præito.
Coquus erat ille quoque, nesciebas? Dij boni,
Qualis coquus? Natura omnium artium
Parens est, ò scelesta.
Non est quicquam sapientius labore;
Eratq; facilis res ei, cui disputatio trita
Hæc erat, multa enim inde comparantur.
Propterea coquum intuita illiteratum,

Quiq; Democriti libros omnes non perlegerit,
Vel potius teneat, derideto tu vt vanum,
Ac Epicuri regulã Mercedem locabo certum est,
Tanquam è scholis prodiens id enim oportet scire.
Quid habet discriminis? Primus tibi, optime,
Glauciscus hyeme & æstate: iterum
Quis occidentibus vergiliis tenere
Piscis, quis sub solstitia sit vtilissimus.
Mutationes enim & motiones malum
Summum est in hominibus variationes
In solstitijs efficiunt; intelligis? quod autem
Sumptum fuerit tempestiuè, gratiam reddit.
Quid horum comes est? scilicet
Procella & venti aduenientes, quod dicitur
Indecorum faciunt; at a me nutrit
Quod apponitur cibarium, & attenuatur,
Recteq; perflat: quia laboribus
Succus æquabiliter vbique coagmentatur.
Succus, ais? Democritus nihili Res
Quæ eueniunt vescentem perspicacem faciunt.
Et medicina mihi particeps esse videris,
Et quisquis intra naturã versatur. At imperitiã
Coquorum huius temporis perpende quæso.
Quem nidorem, cum videris ex piscibus
Disparibus inter se, vnum facientes,
Et sesama ibidem subterentes; sumpta
Eorum quisq; particula oppedat.
Itaque vtere me, quid enim bene fiat,
Vbi quod solitarium esse debet, cũ altero miscetur
Et cum ijs quæ nec vt se contingant, nec vt complicentur consentiunt?
Ea perspicere, artis est ingenuæ,
Non ollas perluere, nec fumum resipere.
Ego enim in culinam non ingredior,

Sed

Sed contemplor propius assidens;
Alij faciunt, tibi verò causas memoro,
Et euentum, acutam circuncisuram dimitte.
Harmonicus, non coquus sum; ignem protende,
Spicis iniectis fiat æquabilis; olla prima
Ferueat, consequentem non conuenienter intelligis
Formam? Apollo, ecquid ars videtur.
Deinde nihil temerè conuiuis appono
Ciborum, sed concinnè omnibus commixtis,
Vt cuiusque modus est, quæ diatesseron habent
Communionem, diapente, itemq́; diapason,
Ea ad ipsa accommodo interualla,
Et corollarijs statim conuenienter implico;
Nonnunquam etiam eminus stans admoneo, quæ ex parte
Quid quis tãgat, quid horũ mixturus es? vide sis,
Dissonum trahis, non transgredieris, sapiens
Epicurus ita condensabat voluptatem,
Curiose cogebat, nouit summum bonum solus
Ille quale sit. Stoici autem
Quærunt assiduò: quale sit nescientes.
Proinde cum non habeant, ignorant, nec
Alteri dederint, itanè tibi videtur?
Omittamus igitur reliqua scilicet iamiam.

Sententiarum Damoxeni Finis.

THEOGNETVS.

THeognetus Thessalus fuit, vt plerique sentiunt: Comœdiarum & ipse poeta. Sacri quoque sermones huius feruntur fuisse, qui in vigintiquatuor rhapsodias distincti fuere. Alij tamen hos in Orpheum referunt. Verùm de ea re consulendus est Gyraldus in historia poetarum. Meminerunt huius poetæ Athenæus, & Suidas.

EX COMOEDIIS THEOGNETI

Sententiæ quæ superſunt.

In Pantaleontem impoſtorem.

Pantaleon ipſe ipſos hoſpites,
Ignotosq́ſibi decipiebat, & ferè
Plurima crapula obruebat, ridendi cauſa,
Peculiarem ſibi quendam blatterandi modum vſurpans.

In Philoſophos guloſos.

Homo enecas me nam ex vario
Stoicorum porticu oratiunculis repletus ægrotas.
Alienum eſt quid ab homine opulentia. pruina;
Sapientia proprium glacies; nemo vnquam
Hanc nactus perijt me miſerum
Quali me fortuna philoſopho applicauit.
Siniſtras didiciſti, male, literas,
Peruerterunt tuam libri vitam.
Philoſopharis es terraq́coeliq́verba faciens,
Quibus nihil cura eſt tuoram verborum.

Sententiarum Theogneti Finis.

THEOPHILVS

IN poetarum Comicorum numerum etiam Theophilus quidam reponitur ab Athenæo, mirando illo Polyhistore, & a Suida. Eius autem septem fabulas fuisse narrant quarum nomina subijcimus. Plura de alijs Theophili nomine claris viris, ex Ecclesiasticis historiographis petenda sunt: præterea etiam ex Plutarcho, & aliis.

EX COMOEDIIS THEOPHILI

Sententiæ, quæ superſunt.

Mulier.

NOn quadrat iuuenis ſeni foemina.
Nam vt acatus ne paulum quidem paret
Vni gubernaculo, ſed perrupto rudente
Noctu alterum portum cepiſſe deprehenditur.

De Amore.

Qui mentem amantes negat habere,
Profectò moribus quiſpiam ſtolidus eſt.
Si enim a vita quis voluptates abſtulerit.
Reliquum nihil eſt, niſi vt emoriatur.
Equidem certè ipſe quoque cithariſtriam amo,
Virginem puellam: per deos, mentem non habeo:
Quæ pulchritudine pulchra, magnitudine magna, arte ſapiens eſt;
Quam intueri ſuauius eſt, quàm theatralem pecuniam
Nobis ſingulatim diuidere poſſunt.

De Amicabus.

Nunquam ipsum incidere in Laidem
Ferentem, vel papauer, vel sisymbrium
Vel barathrum, vel virescentem, vel horum quiddam,
Quæ lapidibus iniungunt lenones.
Vel Nannium, vel Malchacam.

In Callimedontem oratorem.

.. Puer verò patris ambitiose
Iuuenem quandam anguillam patri apposuit;
Teuthis erat bona: Patercule vt affectus es erga carabum?
Frigidus est, apagesis, inquit, rhetorum nihil degusto.

De Magade, musico instrumento.

Malum filium, & patrem, & matrem,
Magadisare licet rotis insidentes.
Nullus enim nostrum idem cantabit carmen.

In Voracitatem.

Elixorum ferè minas tres. Dic reliqua: Orynchij
Perna pedes quatuor. Dij boni.
Bouis autem tres. Apagesis Apollo dic reliquum.
Ficuum minas duas. Bibisti verò interim quantum? Meri
Duodecim heminas. Apollodore, & Sebasie.

Finis Sententiarum Theophili, quæ inuenta sunt.

AXIONICVS.

CElebratur etiam ab Athenęo Axionicus, & inter Comicos numeratur. Etsi verò paucas scripsisse Comœdias videtur; tamen vtiles ipsius sententias ab Athenæo mutuatas, dignas iudicauimus, quæ inserentur huic veterum Comicarum reliquiarum thesauro.

EX COMOEDIIS AXIONICI Sententiæ.

De Gingris, instrumentis musicis.

Neque enim, vt est apud Euripidem, membris
Vtrisque ægrotant, vt eis alia videantur
Esse membra quasi gingram stridentem, & magnum malum.

In Gryllionem parasitum.

.. Vinum non tantum est nunc
Ipsis vt præbeat procacitatis occasionem in socios:
Id quòd facere semper consueuit Gryllion.

In Mulieres.

Fœmina autem ne credas, quòd aquam bibat.

De Malicia.

Cum quis improbo homini mutuas dederit pecunias,
Nō immeritò pro vsura multum molestiæ accipit.

De

De Parasitis.

Quando parasitandi primùm amore captus sum, una cum
Philoxeno Pternocopide, cum adhuc iuuenis essem
Ictus sustinebam pugnorum, & catinorum:
Ossiumq́, magnitudine tantos, vt ego
Nonnunquam minimum octo vulnera
Exciperem, Proderat enim, quandoquidem vinco
Voluptatem, deinde & modo quodam
Rem hanc mihi emolumento esse ratus sum:
Vt si quis contentiosus sit, & contendat mecum de re aliqua,
Conuertar ad eum; quaq́ in me coniecerit
Maledicta, statim fassus non offendar.
Malusq́ cum sim, bonum esse me quis ait,
Laudans hoc gratiam reporto;
Glauci particulam coctam hodie cum eroserim,
Cras idem vetustate rancidum si habeam nō ęgrè fero.
Tales mores sunt, naturaq́ mea.

In Pythodelium, hominem incontinentem.

Pythodelus iste Isoballion
Cognominatus, accedit, luxuriosissimus.
Ebriosaq́ a tergo sapientissima
Apotympanischas pedetentim procedis.

Sententiarum Axionici, quæ inuenta sunt, finis.

PHILIPPVS.

IN poetarum Comœdiæ catalogo etiam Philippus quidam inuenitur apud Athenæum, & & Suidam. Meminit etiam Gyraldus de Poetarum historia. Mentio fit Philippi κωμῳδοδιδασκάλου li. 1. de Anima apud Aristotelem: quem mimos scriptitasse tradit Euphrades Themistius in primo quoque de Anima, vbi Dædalum ligneolam fabre fecisse Venerem ait, quæ fusili argento infuso agitaret sese, & gestus moueret. Meminit eius etiam Author in adagio, Dædali opera. Sed incertum est, an de hoc nostro Philippo ea scripta sint ab Aristotele.

EX COMOEDIIS PHILIPPI

Infortunatos opus habere condolentibus.

NOn est difficile malè affecto
Quempiam dicere vescentem, ne male habeas.
Pugilemq; increpare, nullo negocio pugnanti.
Non est autem facile, vt ille ipse pugnet.
Aliud est dicere, aliud est facere.

In Seruitutem.

Satius est bonum consequi dominum,
Quàm liberum humiliter & malè vitam degere.

In incertam prosperitatem.

Here vbi quid infortunij tibi acciderit,
Euripidis memento, & facilius feres:
Mortalium felix vbique nullus est.
Existimes verò te quoq; vnum è multis esse.

De Piscibus.

Papia, vis cursu profectus

In forum coemere mihi? Dic quidnàm?
Pisces sapientes, pater, ne mihi paruulos;
Nescis quid argentum valet in Argyro?

Iuuenis, qui omnia parui facit, quæ ad artem parandi obsonia spectant.

-- Verùm emito parcè.
Quiduis enim satis est. Eloquere quidnàm?
Non sumptuose, sed munditer, quòd
Delibantum more sufficiunt loligines & sepiola;
Et si locustam aliquam capere licet, vna sufficit.
Suaue quiddam etiam est in mensa anguilla.
Thebe aliquando venit, ex hoc cape
Gallum, palumbem, perdicem,
Et huiusmodi, dasypus si quis veniat, aufer.
Quàm sordibus es tu, dic valde sumptuosa
Omnium nobis caro num est? misit quis?
Non, sed statim mulier adsit Vitulum autem
Coronæ in crastina coena comedemus.

Finis Sententiarum Philippi.

PHOENICIDES.

Athenæus, & post eum Suidas, ferè soli nobis hos posteriores Comicos suppeditarunt. Nam aut nihil prorsus, aut perperam apud alios, eosq; rarissimos, authores inuenimus. Recensetur igitur Phœnicides quoque inter illius (Comœdiarum puto) generis scriptores, duasq; ipsius fabulas Athenæus adducit. Meminit etiam Stobæus.

EX COMOEDIIS PHOENICIDIS Sententiæ.

De Intemperantia.

PEr Venerem, non possum amplius, Pythias, meretriciam agere vitam, valeat Ne mihi occinas,
Excidi, nihil ad me, desistere volo.
Statim enim vt ingressa sum illum quæstum, amatorem habui
Militem quendam, hic vsque pugnas
Referebat, ostendebat inter narrandum vulnera:
Sed nihil afferebat, munus nescio quod
A rege se accepturũ dicebat atque eadem semper
Dictitabat, pro isto quod dico, munere
Ductauit me toto scelestus anno gratis.
Dimisi hunc, & alium quendam nanciscor,
Medicum: hic plurimos introducens,
Secabat, vrebat, pauper erat, & carnifex.
Grauior hic altero iste mihi visus est.
Ille enim narrationes exponebat iucundas, hic verò faciebat mortuos.
Tertiò copulauit me fortuna philosopho,
Barbam habenti, & pallium, & sermonem:
In manifestum incidi malum.
Nihil enim dabat, & si quid peterem, respondebat,
Non bonum esse argentum. Esto malum,
Propter id da mihi, abijce; non parebat.

De Caricis.

Myrti & mellis recitant encomia,
Tum vestibulorum, & quarto loco caricarum.
Eas statim, vt enauigaui gustaui
Tum vestibulum; nihilq; prorsus horum erat
Quod quis cũ bonis cibis Atogenis conferre queat.

De Chærippi voracitate.

Tertius autem ex istis sapientissimus
Chærippus hic, quanta, nouisti, comedat.
Nimirum donec quis afferat, aut disruptus lateat
Promptuarium velut domus habet.

Sententiarum Phoenicidæ Finis.

CLEARCHVS.

TRes scriptores celebres Clearchi nomine fuisse, in comperto est. Primus Solēsis peripateticus, cuius authoritate plurimis in locis Athenæus vtitur. Alter Ponticus, qui Platonis, & ni fallor, Aristotelis quoq; auditor fuit, quem Iosephus lib. 1. contra Appionem citat. Tertius professione Comicus fuit, non frequentis mentionis, vt cæteri. Eius igitur sententias ex Athenæo adscribimus.

EX COMOEDIIS CLEARCHI

Sententiæ.

De Amœbæo citharœdo.

VOrato congrum candidum, ac tenacia;
Nutritur illis quando certè spiritus
Tum nox fit ipsa præpotens nobis bona.

In Lesbium vinum.

.. Lesbio poculo
Non aliud ad bibendum suauius vinum est.

In Ebriosos.

Si ebriosis singulis diebus,
Vt capite dolerent, contingeret, ante quàm biberent
Merum, nemo nostrum biberet;
Nunc verò ante dolorem voluptatem
Præcipientes, bono postea priuamur.

De Bellarijs.

Cape aquam in manus; nequaquam. Bene habet,
Cape bone Nihil peius puer, impone
Mensæ nuces ac bellaria.

Finis omnium quæ de Clearchi comoedijs superesse inuenta sunt.

NICOSTRATVS.

NIcoſtratus mediæ comœdiæ poeta fuit, vt docet Athenæus lib. 13. multi nominis, & Laertio teſte Clytemneſtra cognominatus. Suidas narrat eius fabulas in loculo repoſitas, cum diutius latuiſſent, repertas eſſe. Optimè quoque hiſtrionicam exercuit: vnde ab ipſo, in eos qui rectè aliquid & peritè faciant prouerbium natum eſt, Suida teſte, & alijs ἐγὼ ποιήσω πάντα κατὰ νικόστρατον: id eſt, Faciam omnia vt Nicoſtratus. De Nicoſtrato Macedone oratore, vide Hermogenem Rhetorem, & Suidam.

EX

EX NICOSTRATI Comœdijs Quæ supersunt, sententiæ.

In Garrulitatem.

SI continenter, & multa, & celeriter loqui,
Signum esset prudentia, tum hirundines
Dicerentur multò sapiëtiores nobis.

De Cœnis Atticis.

Lanx primus dux erat magnis
Echinum, ometarichum, capparim habens,
Thrymmatidem, salsamentum, bulbumq; in intrito.

In Inconstantem hominum prosperitatem.

Non est vir qui omni ex parte beatus sit,
Ita me amet Minerua, breuiter charissime
Euripides vitam vno versiculo conclusisti.

In Cephisodorum cognomento Impostorem.

Cephisodorum non malè per Iouem. impostorem
Dicunt, viam arctam in angustum constituere quosdam
Vlnas habentes, vt nullus praterire possit.

De Mattya.

Bene est viri, valde bene est; sed mattyam

Sit

Sic praparabo postea, quod credo ego
Nobis neque hunc ipsum inde contradicere.

Et in Coquo.

Thrium Candaulumq́, vel quid horum is haud
Cognouit vnquam ad mattyam quæ pertinent;
Post alter inquit mattyam ferri, pedem
Ventrem calentem, fortè metras & simul.

Metaniptrum.

Infunde ei metaniptridem sanitatis (poculum.)
In Serpentes, mulierem ornatum.
Catenas, monilia, anulos armillas,
Serpentes periscelides, elleborum.

De Phano.

Est caupo qui vicinus est quidem, merum
Si det, si oliuum vendat ille cuipiam,
Seu mittat acetum, vel vi aquam commiscuit.

Finis Sententiarum Nicostrati.

CRITON.

CRitonis Comici vnicam adducit fabulam Athenæus φιλοπράγμονα, id est, Curiosum, in eo loco vbi de Parasitis agit. De alijs Critonis nomine insignibus Suidam consule, & eundem Athenæum.

EX

EX COMOEDIA CRITONIS

Sententiæ.

De Parasitis.

PHoenicem magni dominum marsupij,
Nauclerum in portu cum eò redegisset, vt nauigare nequiret,
Eo corbibus instruerentur dua naues coegisset,
Dolum venire voluit ex Piræo,
Ex omnibus audiens, parasito locum
Hunc duntaxat tribus abundare bonis videri,
Obsonijs, frequenti foro, varia illic habitante turba,
Et ipsis Dei parasitis Delijs.

Sententiarum Critonis finis.

CROBYLVS.

DEstituimur aliorum scriptorum testimonio præter Athenæum, in describenda huius Crobyli vita. Is autem aliquoties Crobyli authoritate vsus, Comicum eum appellat, & fabulas quatuor sub ipsius nomine citat.

EX

EX COMOEDIIS CROBYLI

Sententiæ quæ superſunt.

Helluatio.

Vita tua humiditas nimis me perculit:
Helluationem namq́; humiditatem nunc appellitant
Nonnulli.

Epidoſima.

Laches ego autem ad te procedo,
Vbi me interrogas velut amicam, aderant
Nobis Epidoſima, in quibus heri bibere
Cyathos centum coegiſti tu duodecim.

Clibantia.

Et ſcapham quandam apprehendens
Purorum clibanitarum.

Semicapita.

Intrauit ſemicaput tepidum porcelli,
Cuius per Iouem reliqui ego
Nihil.

Ebrietas.

Nam perpetuò ebrium esse, quam voluptatem habet?
Cum viuens se temperatione priuet,
Quod maximum natura nostra bonum habet.

Gilosi.

Ad hæc ego certè nimis calentia
Nunc frigidas habeo manus, & piscium
Incendo guttur carnibus suauissimè.
Caminus haud homo.

Parasitus, qui & autositus.

Autositum, te ipsum nutriens,
Multa accumulas domino.

Sententiarum Crobyli finis.

BATHON.

INter Comicos etiam Bathon refertur ab Athenæo & Suida, non quidem Sinopensis ille, cuius idem meminit: sed alius, cuius nec patria, nec reliqua vita exprimitur. Meminit etiam eius Stobæus tribus locis.

EX COMOEDIIS BATHONIS

Sententiæ quæ superſunt.

In Intemperantiam.

C*Vm & alia multa ſint in vita,*
Ob quæ omnes meritò perturbamur:
Potiſſimũ tamẽ mihi bilem cient,
Qui dicũt ſe mores valde amare:
Ac putant nos nõ intelligere, quòd & fictis
Verbis narrant, nec verè.
Quid enim, per Mineruam obſecro, differunt
Mores adoleſcentum & imberbium,
A' moribus hiſpidorum, & ætatis prouectæ?

De vita, quòd breuis ſit.

Homo cùm ſis, lapſus es: In vita verò
Monſtrum eſt, ſi quis per totam vitam fortunatus fuerit.

Clariſſimorum condiendi artificum nomina.

Nos nocte nec dormimus ò Sibyna, nec

Conſcripſimus, ſed lychnus ipſe exuritur.
Eſt in manu nobis liber, putamus &
Relinquere quid ſcitum. Quis eſt noſtrum A-ctides,
Chiusuè, Tyndaricusuè, Sicyonius?
Vel Zopyrinus, ipſe quid te dixeris
Mox reperiſſe? Quæ videntur maxima
Quot mortuos.

In Parcitatem.

E' philoſophis temperantes huc voco,
Nihil boni ſibi concedentes,
Prudentem quærentes in deambulationibus
Et diatribis quaſi fugitiuum.
Peſtis hominum quamobrem, cum tibi ſit quod conferas,
Parcis? quid tanta verò deum afficis iniuria?
Quid argentum, homo, precioſius
Te ipſo ſtatuis, quamq; natura ſit?
Inutilis es ciuitati qui bibis aquam:
Agricolam enim & mercatorem offendis.
Ego verò qui ſum ebrius, progreſſus honeſtos facio.
Deinde mane circunducis lecytho
Oleum, literis operam dans, vt circunferre
Horologium te cenſeat quis, non lecythum.
Sententiarum Bathonis finis.

DEMETRIVS.

EX promptuario optimorum & vetuſtiſſimorum authorum apud Athenæum, etiam hunc Demetrium Comœdiæ poetam deſumpſimus, de quo nihil aliàs inuenimus.

EX

EX COMOEDIA DEMETRII

De Messapiorum regis pane.

Acillinc in Italiam austrino vento
Traiecimus pelagus ad Messapios;
Panis autem nos praeclarè hospites excepit,
Hospes gratus illic magnus et splendidus.

Finis Sententiarum Demetrij.

DIONYSIVS.

ETsi Dionysium Siciliæ tyrannum Tragœdias & Comœdias condidisse nemo est qui ambigat: tamen ab eo alium hunc nostrum Dionysium esse, ex Athenæo pronunciamus. Fuit autem patria Sinopensis: vnde etiam Diphilus, nouæ Comœdiæ celebris poeta, oriundus fuit, vt suprà diximus.

EX COMOEDIIS DIONYSII

Sinopensis Sententiæ.

Exceptio.

AGedum Dromo.nunc si quid elegans aut sapiens,
Aut lepidum tenes tuarum rerum,
Palàm profer id præceptori.
Nunc artis specimen a te equidem requiro.
In hostilem terram te duco, audens excurre.
Numero dant carnes, & obseruant te;
Carnib. his confectis, & vehementer feruefactis,
Numerum eorum, vt præcipio tibi, confundito,
Piscis insignis adest, is est tuus;
Et si quod frustum declines, id quoque tuum est,
Quandiu sumus intus; cùm autem foris, meum.
Exemptilia, & alia quæ his comitantur, quæ
Neque numerũ, neq; reprehensionem in se habent,
Sed recisamenti aut ordinem, aut situm ferunt,
Eis in crastinum te meq; oblecto.
Prædatori partem in primis tribuito,
Transitum vt habeas per fores beneuolentiorem.
Quid opus est verbis apud eum qui rem tenet?
Meus es discipulus, tuus ego magister.
Horum memor esto, & huc vna sequere.

De

De Tempestiua oratione.

Aut dic aliquid silentio melius, aut sile.

Mattya.

Ita vt faciens quandoque ego ipsis mattyam,
Vnam properans mox lationem gesserim
Ad mortuum errans mortuorum, nec volens.

Finis Sententiarum Dionysii Sinopensis.

DIODORVS.

Diodorus Comicus & ipse patria fuit Sinopensis, sicut Diphilus, & Dionysius prædictus Meminerunt eius Athenæus, Suidas, & Stobæus: vnde etiam sententias ipsius pulcherrimas transcripsimus.

EX COMOEDIIS DIODORI

Sinopensis Sententiæ omnes quæ extare repertæ sunt.

In contrahendis nuptijs non oportere spectare nobilitatem, neque diuitias, sed mores.

EQuidem legem hanc mihi
Fero, statuens vt dictum est ita me factururm.
Melius est bene educatam accepisse
Vxorem indotatam, quàm malè, cum pecunijs,
Potissimum cum ea vita socia futura sit.

De Vini vsu.

Vbi cyathos bibat quis, ò Criton, decem,
Si iuxta singulos continuò pocula,
Bibere postea cogitationes licebit:
Hac tecum considera.

De Parasitis.

Demonstrabo apertè
Quòd graue hoc sit, legibusq; sancitum,
Adeoq; & deorum inuentum. Alias autem artes
Nullus deus monstrauit, sed homines sapientes.

Parasitum agendi rationem Iupiter amicorum deus inuenit,
Qui meritò Deorum maximus dicitur.
Hic enim passim ædes intrat,
Non discernens pauperis an diuitis sint.
Vbi lectulum bene stratum viderit,
Paratámque mensam, quæque oportet omnia
Habentem munditer, ibi discumbens,
Prandium sumens, deliciatus, bibensque
Abit domum nullo dato symbolo.
Idem ego quoque facio, vbi lectulos video
Stratos, mensasque probè instructas,
Apertasque fores, illuc irrumpo
Cum silentio me lenem faciens,
Ne molestus sim conuiuæ.
Omnibus fruens quæ apposita sunt potusque
Discedo domum non secus atque ipse Iupiter.
Quod verò parasitum agere res esset gloriosa semper & magna,
Vel inde quis manifestius cognoscet;
Vrbs Herculi cum sacra sola splendidè
In rebus omnibus facit quæ publicè,
Ad hæc parasitos Deo ipsi
Nunquam legit, nec adsumpsit
Ad ea quosuis sed elegit
Ex ciuibus duodecim egregios viros,
Ex omnibus potentibus prognatos,
Qui honestè pieque vitam egerint.
Herculem postea secuti diuites
Quosdam legunt hortantur illos pascere;
Dehinc parasitos, non legentes, optimos,
At quisquis aptus sit adulationibus;
Et qui rapas edens, silurum & marcidum,
Canasse se dicat rosas, violas simul.

Vbi pepedit quis iacens simul, ferat
Nares vt admouit, quis hos tibi dedit
Suaues odores? vnde tale tibi thus venit?
Iamq́; est decorum turpe, iam bonum malum,
Ob hos viros lasciuientes vndique.

In defunctos non esse exercendam contumeliam.

Homini mortuo vnus quisque, licet admodum
Inimicus antea fuerit, conciliatur.

Diodori Sinopensis Sententiarum finis.

ARISTOPHON.

QVicunque sit Aristophon (nihil enim certi de vita & moribus ipsius habemus, relictum ab authoribus) tamen libuit eum quoque in catalogum nostrorum Poetarum referre, ne studiosi elegantibus eius reliquijs destituerentur. Quia non omnium est, eos sibi authores comparare, ex quibus nos & huius & aliorum Comicorum reliquias in vnum hoc volumen collegimus. Meminerunt huius Aristophontis, Plutarchus, Athenæus, Diogenes Laertius in Pythagora, Stobæus, & Gyraldus.

EX COMOEDIIS ARISTOPHONTIS
Comici Sententię quæ supersunt.

Quòd vxorem ducere non bonum sit.

Malè pereat, quisquis secundo uxorem ducit,
Homo. Primus enim qui duxit, non peccat;
Quia non perspexit, quantum esset malum
Vxorē ducere. At qui denuò matrimoniū cōtrahit,
In cognitum malum sua sponte se præcipitat.

De Amore.

Reiectus est nunquid deorum calculis
Ex concilio rectè duodecim. quòd omnia
Turbabat, Amor? nam seditiones intulit,
Vbi esset vna, cum foret valde insolens,
Ac arrogans, alas ceciderunt Dei,
Volare rursus ne valeret ad polum
Ad nos deorsum propulere mox profugum.
Alas, habebat quas, dedere; posse vt
Ex hostibus gestare victor exuuias.

Thunnus Piscis.

Corrupta sunt omnino dudum obsonia,
Claues duæ assata parata, queis fores
Claudunt, prius thunni videlicet cibus
Grauis fuit, Laconica inde tertia.

Parasitus.

- Volo autem
Tibi prius fari quibus sim moribus:
Conuiuio si quis vocet, dudum vt sciat.
Zomos vocor, si sit necesse quempiam
Cepisse fortè strenuum bacchantium,
Qui sit medius pugnator ipse strenuus.
Iuisse oportet vt domum, sum certè aries,
Ascendere vt scalas oportet Capaneus
Sufferre plagas incus ac pugnas ego.
Finxisse Telamon, fumus vt bonos probo.

Atque in Pythagorista.

Nullum magis putato quàm Philippidem
Idoneum fami Tithymallum aut fore.
Aquis bibendis rana, vescier thynnis,
Olereq; campe est, non lauando squalidus.
Dormire sub dio vt merula per frigora,
Aestus pati meridie multum loqui,
Cicada olinum nec videre, nec lini
Puluis videtur, ambulare grus pede
Nudo crepusculum per ipsum, noctua
Dormire nihil. -

Vituperium paupertatis.

Manifesta sit tempestas Lux enim paupertatis
Omnia in se mala & grauia cunctis ostendit.
Pauperum omnium finis est nox:
Obumbrat enim ipsorum mala vbiq;.

In Pythagoricos, ex Pythagoristæ fabula

Ait cum descendisset in diætam inferorum,
Vidisse singulos. Differre autem valde multum
A reliquis mortuis Pythagoricos. Solis quippe
His Plutonem conuesci ait
Ob pietatem. Facilem mihi narras deum,

Si sordidis cibis adesse gaudet.

Et in eodem:

- Comedunt
Olera, & aquam in potum sumunt:
Pediculos & pallium, squaloremq́,
Nemo vel ex iunioribus perferre possit.

Finis Sententiarum Aristophontis, quæ inuenta sunt.

CHAEREMON.

FVit & Chæremon poeta Comicus, vt Suidas ait; quem Socratis discipulum quidã fecere. Multæ ipsius fabulæ ab authorib. Aristotele, Athenæo, Suida, Stobæo, Theophrasto & alijs commendantur. In Hippocentauro fabula, si Aristoteli credimus, mixtam omnium metrorum genere rhapsodiam fecit. Theophrastus in Amatorio, apud Athenæum author est, hunc Chæremonem dicere solitũ fuisse; Amorẽ, si temperatus sit, in primis hominem lætum & gratiosum facere; si propensior sit & intemperatus; contra, perturbationibus & difficultatib. hominem afficere. Idẽ Theophrastus adducit quoque Chæremonis versus & testimonium lib. 5. de Plantis, vbi de fumosis arboribus agit. Palmam enim fumosissimam his Chæremonis verbis probat:

τοῦ τε δυσκαπνοτάτου
φοίνικος ἐκ γῆς ῥιζοφοιτήτους φλέβας.

Alius fuit Chæremon qui Hieroglyphica scripsit idem ait Suidas.

EX COMOEDIIS

Chęremonis Sententię quę supersunt.

De Patientia.

Nemo sapiens ob parua tristatur.

De Magistratu.

Sapientium virorum est peccata diligenter & rectè iudicare quod autem temerè ac negligenter fit, malum est.

In Imprudentiam.

Non viuunt illi, qui nihil sapiens intelligunt.
Prius alios spernere quàm rectè sapere didicisti.
Non decet mores nimium esse leues.
Nullus enim, vbi se iam lapsum videt, bene sibi consultasse videtur.

Quòd non bonum sit vxorem ducere.

Sepelire vxorem melius est quàm ducere.

De Senectute.

Senes enim omnes ad iram moderãdã inepti sunt.

Parentes.

Bonus pater non fouet iram aduersus filium.

Quòd nihil oculis magis iucundum sit, quàm mulieris præstantis forma.

Iacebat ostentans Selena lumini
Hic candidum vber defluente pallio,
Latus sinistrum rursus hac tripudij
Soluit; patentibus poli spectaculis
Pictaram & inde viuam apertè protulit.
Color fluebat ex oculis mox candidus,
Contra nigrantis vmbra opus quòd praualet.
Pulchras manus palmas habentes altera
Nudauit, hac collumq́; tegitq́; foemineum.

Hac

Hæc vestibus fractis plicis sub femora
Ostendit, ingnitus hic Amor fuit.
Non hic metus ridente tempore affuit.
Posthæc supina concidunt in helenijs.
Tum nigra frangunt hæc violarum capita,
Crocumq́ quo solare telis illinit
Idolon aptè, tingit atque pallia
Perses vigens ætate: mox amaracus
In mollibus pratis tetendit ramulos.

Et in Alphesibœa:

Iucundus aspectus fit ipse corporis,
Splendentq́ formosi colore candido,
Rubrum colorem tum pudor suauissimum
Inducit, addens huic colori splendido.
Comaq́ flauentes velut & imaginis
Formantur, ipsis cum retortis crinibus,
Ventisq́ lætabantur illi mollibus.

In Dionysio autem:

Hedera choros amans, & anni filia.

De Amore.

Quis non dicat amantes solos viuere?
Nam primùm omnium bellicosissimos ipsos esse
Oportebat, corporibus exercendis valere.
Maximeq́ optimos, ad dandam amori operam,
Potentes temerarios, promptos, diuites;
In dubijs tamen rebus omnium miserrimos esse
ipsos apparet. In iram.

Ex ira scio cuncta prodire mala

De Diuitijs.

Diuitiæ etiam cum summis honoribus potiuntur,
Non habent fastum, itaq́ gloriam consequuntur.
Sed venerabiles sunt, & elargiendo hominibus
Suauem sui conuersationem faciunt, & nescio qua gratia pollent.

De Rosis.

Rosas habebam, floridum corpus, comis
Horarum & ipsa me nutrix veris decens simul,
Rosa nitentes lilijs cum candidis,
Licet videre. Plurimum fructum Veneris
In vitibus summis nitet pro tempore

De Liberis.

Parentes amato quàm constantissimè.
Vtinam dignas possim parentibus referre gratias.

Superbia.

Omnino pars superior non sinit superbire.

In Prudentiam.

Quod optimum est, honorari debet vbique.
Nam qui rectè sapit, omnia simul complectitur.

Mendacium.

Bonos falsa dicere, non conuenit.

Sententiarum Charemonis finis.

MACHON.

EX numero Comicorum etiam Machon fuit, vt testatur Athenæus lib. 6. & 14. Patria Corinthins, vel Sicyonius. Vixit autem (inquit idem Athenæus) in mea patria Alexandria; atq; se magistrum professus est earum partium Comœdiæ, quæ sunt Aristophanis Grammatici. Deinde mortuus est in Alexandria. In cuius sepultura carmē tale ab Aristophane scriptum legimus:

τῷ κωμῳδογράφῳ κοῦφη κόνι, τὸν φιλαοιδὸν
  κισσὸν ὑπὲρ τύμβου ζῶντι μάχωνι φέροις.
οὐ γὰρ ἔχεις κηφῆνα παλίμπλυτον, ἀλλ' ἄρα τέχνης
  ἄξιον ἀρχαίοις λείψανον ἀμφιέσαι,
τοῦτο δ' ὁ πρέσβυς ἐρεῖ κέκροπος πόλει, καὶ παρὰ νείλῳ
ἔστιν ὅτ' ἐν μούσαις δριμὺ πέφυκε φυτόν.

Hoc est:

Comico terra leuis, poetis gratam
Hederam super tumulum viuenti Machoni feras.
Non enim fucum vdum siue inutilem tenes, sed arte
Dignas veteri reliquias ornari.
Hoc autem nuncius dicat Cecropis vrbi, quòd ad Nilum
Quoq; inter Musas superba nascatur planta.

Vnde manifestè cognoscimus, eum genere quoque Alexandrinum fuisse. Et lib. 14. Sic bonus fuisse dicitur Machon, vt eorum quiuis alius, qui post septem fuerunt, qui Pleias cognominati sunt. Hæc omnia Athenæus de Machone.

EX COMOEDIIS MACHONIS

Comici sententiæ, quæ supersunt.

In Archephontem parasitum.

AD coenam cum esset vocatus Archephon parasitus,
A rege Ptolemæo, per mare
Nauigauit ex Attica in Aegyptum.
Obsonio Neptuni apposito vario
in mensa, locustisq; veris,
Denique patina illata plena:
In ea tres erant salsi gobij,
Quos mirati sunt quoquot inuitati erant:
Scaris quidem tum vescebatur, & mullis,
Et phycidibus vt plurimùm Archephon.
Homo halecculis & membradibus,
Phalericisq; apuis exaturatus,
A' gobijs se temperauit optimè.
Planè incredibilis sanè res cum sit,
Et accersiuerit rex Alcenorem,
Non fastidiuit Archephon gobios.
Curuus ait prorsus quidem contrarium
Ptolemae vidit primus, sed non attigit:
Obsonium autem hoc veneratur & veretur.
Non licet ei consuetum immunem
Piscem, magnumq; iniuria afficere vllum.

Gnathænæ dicta memorabilia.

Apud Gnathænam vt fortè potans Diphilus
In coena, vti ferunt, Veneris sacrificijs

Magis

Magis est honoratus quàm amantes cæteri,
Lethesq; amabatur ab ea grauissimè;
Aderat habens duo Chia, Thasia quatuor,
Hoedum, coronas, tænias, bellaria,
Obsonium, vnguentaq; coquum, ad hæc tibicinam.
Cum Syriacus amator huic quidam exterus
Misisset illi cum saperda vna niuem,
Timens videret ne quis illa munera,
Custodiensq; maximè præ Diphilo,
Poenas reprensa ne lueret post Comico;
Auferre iussit illa salsamenta mox
Ad hos viros, salibus quibus esse opus patet.
Puerum niuem immiscere iussit poculis,
Meroq; clam; tum fundito velut decem
Cyathum feras hinc Diphilo pro poculo.
Bibens repente Diphilus suauissimè
Id poculum, & miratus & quod accidit.
Per Palladem & Deos, ait, quàm frigidum
Gnathæna habes puteum sine controuersia.
Ait illa; nam tuorum ego actuum probè
Iecisse sueui semper huc proemia.
Elata verbero flagelli vulnera
Cubabat ipsa fortè cum Gnathæna habens,
Complexaq; illum, nouit vt tergum asperum
Virum hunc habere, clamat, ò miser miser
Vir, vnde cepisti tot ipse vulnera?
Respondit ille protinus, quod in pyram
Compulsus est paruus puer, cum luderet
Vna coæuis cum pueris, ac incidit.
Rectè profectò per Cererem amicam, refert,
Decorticatus sic fuisti intemperans.
Mox Dexitheam coenaret vt amicam penes
Gnathæna, totum apponeretq; obsonium,
Matri ipsi Dexithea, Dianam per deam,

Inquit

Inquit Gnathana, si fuissem prascia,
Coenassem apud matrem, haud apud te foemina.
Cum iam foret senex Gnathana, & ossium
Sepulchrum ob annos dicta ab omnibus ferè:
Dicunt forum hanc petijsse, mox obsonia
Rogasse quanti venderentur singula,
At fortè carnis venditorem quem videns
Stantem per vrbanum, iuuenemq; maximè
Aetate, per Deos tulisse; iuuenis heus
Cur nam, referto, hic pulcher assistis? statim
Ridens at ille, pronè ait, triobolo.
Quis imperat tibi misellé, mox ait,
Cum sis Athenis, vile quiddam vendere.
Donabat hoedos nam Stratocles cognitis
Gratis, & ollas conditas salsugine,
In crastinum diem sitim quo linqueret,
Volentibus diem die coniungere:
Fecisse longa symbola ac in catera.
Gnathana amantem dixit ad quendam sui,
Cum militantem cerneret in conuiuia,
Hybernat in hoedis Stratocles ei refert
Gnathana ephebum cum videret hinc nigrum,
Macrumq; valde sed perunctum splendidè,
Cunctis ephebis & minorem denique,
Velut in Adonin est cauillata asperè
Huic obuio iuuene, ac tyrannicè sibi
Occurrere, viso, respiciens ad filiam
Quæ ponè sequebatur refert: ò filia
Quàm iustius multo fuisset per Deos
Dignum putasse ponticum quem vti ferunt
Dormire adolescentem Gnathana cum, nimis
Manè venientem, posteriora quò semel
Praberet ipsi, ad hac retulisse proditur
Eadem, misella me nates cum nunc petis

Egisse tempus cum sues in pascua est.

In Dorionem piscium gulonem, & crumatopœum, hoc est, chordarum pulsatorem.

Cum crumatopoeus Dorion isset Mylen,
Mercede nec demum inueniret vllam ibi,
Consedit in templo quod esse contigit
Tunc ante portas ciuitatis conditum.
Vidensq; rem sacram facientem flaminem,
Per Palladem dic cuius est, ait, & Deos,
Hoc quaeso templum cuius inquam est, optime?
Neptuni Iouis, is respondet, hospes est.
Ad hac, quis ergo, Dorion ait, in loco
Hoc hospitium queat inuenire, vbi Deos
Habitare fama est sicuti, duos simul.

In Chorydum parasitum.

Corydum aliquando interrogauit Eucrates
Vnus ex conuiuis quomodo fuisset tractatus
A' Ptolemao qui nondum satis noui, respondit;
Potum enim instar medici mihi statuit,
Verùm qua esui essent cibaria non apposuit.

De Mania amica.

Fortè quaritet aliquis, & rectè quidem,
Ex auditoribus, quanàm ex Attica mulier
Vocata sit, aut existimata saltem, Mania.
Phrygium enim nomen habere turpe est foemina;
Et adhac amicam ex media Gracia
Atheniensium aliquid artere vrbe,
In qua omnes rectè gubernantur.
Primùm igitur statim a teneris annis
Nomen ipsi erat Melitta, quoniam magnitudine
Eius temporis mulieribus paulo erat inferior,
Sermone verò commercioq; probè composita.

Supra

Supra modum pulchra & stupenda cum esset,
Plurimos quoq; tam ciues quàm peregrinos amatores
Habuit. Vbi de foemina sermo fortè
Incidebat, Maniam Melittam pulcherrimam
Esse prædicabant & placuit id
Et magis ac magis. Si enim cauillaretur,
Verbulum illico exclamabat hoc Maniam;
Illa siue laudet quempiam siue carpat.
Vtrisq; talibus Mania addicta fuit sermonibus.
Hinc est quòd Maniæ nomen quis pronuncians, videatur
Eam amatorum insaniam nuncupare
Sed parergon hoc magis est quàm nomen
Videtur aũt calculo laborare vt apparet, Mania,
Gnathenaq;, quia in stragula procedit.
Lege id a Diphilo cautum erat.
Postea Gnathana ipsam Maniam
Conuicijs petebat, dicens; Quid hoc puella,
Si lapidem haberes? Respondens Mania,
Darem (ait) tibi, vt quo fricareris haberes.

Amplius de eadem;

Leontiscus amore captus erat olim Maniæ,
Luctator insignis: solusque cum ea versabatur,
Quasi cum legitima vxore. Ab Antenore autem
Supratam ipsam vbi postmodum accepit,
Vehemẽter indignatus est, cui illa, nequaquã dixit
Despondeas animum Experiri enim, discereque
Olympicorum duorum athletarum noctu
Plagam, quid possit, v lui. Rogata
Fertur de natibus aliquando a rege
Demetrio Mania
Munus aliquod statim poposcisse,
Quo dato eas vorterit. Paulo post ait,
Fili Agamemnonis tibi nunc licet

Præsenti

Præsenti aspicere, quorum semper fuisti cupidus.
Transfuga vir & peregrinus esse visus
Peregreque Athenis aliquando proficiscens,
Maniam accersiuit, quantum petiuerat tribuens.
Ad hunc etiam quosdam acceperat
Ex vrbe, qui cum arridere probè sciant,
Omnia in gratiam semper conuertunt.
Cumque & vrbanus & comptus esse cuperet
Cum Mania quàm bellissimè iocante,
Sæpiusque in cuniculum consurgente,
Ei volens applaudere per deos,
Adolescentes quid vobis agrestes videntur
In montibus celerrimè currere feræ?
Mania transfuga, ò socij, ait.
Postea rursum ingressa est Mani,
Transfugam cauillabatur, timidumq; dicebat
Ipsum aliquando in congressu fuisse.
Miles autem ex hoc contristatus,
Ipsam repudiauit. Dolore perfusa amica,
Idcirco nequaquam, ait, tristis esto charissime.
Non enim tu data fuga clypeum abiecisti,
Ita me Venus amet, sed qui tibi tūc accōmodauit
In conuiuio verò, vt fama est, apud Maniam
Excepit ipsam improbissimus quidam homo.
Deinde interrogauit, vtrum superna malles,
Si venires simul iacere, an inferna? Subridens
Illa, superna ait. Ideo enim verita sum,
Ne me cadente monilia deuorares.

In Mattyam.

Nihil sanè mihi suauius est mattya,
Num id Macedones primi Atticis
Nobis ostenderunt, an verò omnes dij?
Nescio aliud, nisi qui ornatissimi cuiusdam (viri) est.

In

In Moschionem parasitum.

Aquam bibentem Moschionem nomine
Visum, aiunt, in Lyceo cum aliquot alijs
Parasitum a diuite quadam nutritum anu
Incredibilis sanè res est, quam
Vetula facit, vt tu quo ventrem impleas semper habeas.

Gulones.

Gulo sum: Hoc autem artis est quoddam
Nostra fundamentum, vt patiatur, quicquid opus est,
Qui non apposita euerterit
Solicitus. Ibi nanque malus non est,
Postea vbi sensuum integra sunt sedes,
Nihil peccares, lixa, verùm non dense.
Salem non habet, affer Vbi alio aliquo indiget,
Denuò gusta, temperamentum vt capiat;
Velut lyram intendere, sic suauis es.
Postea vbi omnia consona videntur,
Diapason inducas Nicolaidas Nyconias.

In Polyctorem citharœdum.

Ignauissimus quidam, vt visus fuit, citharoedus,
Aedificaturus domum ab amico
Suo lapides petiuit. Ego autem afferam
Tibi, ait, magnam ipsorum copiam ex iudicio.

In Philoxenum Cytherium dithyramborum poetam.

Egregium verò aiunt Philoxenum,
Dithyramborum poetam, fuisse
Gulonem, nam duorum cubitorum polypum
Syracusis aliquando ipsum emisse,
Et praeparatum comedisse totum,
Praeter caput, affirmant. Captus autẽ cruditate,
Vehementer aegrotare coepit. Tum medicus quidã
Ingressus ad eum, vt magno malo

Eum

Eum pressum vidit, Si tibi quid, ait,
Nondum est dispositum, celeriter dispone,
Philoxene. Hora enim septima morieris.
Tum ille respondens, Omnia mea ad finem perducta sunt,
Medice inquit & iamdudum disposita;
Dithyrambos Dijs relinquo
Viriles, & omnes corona dignos,
Quos & meis collactaneis appono
Musis. Venerem & Bacchum tutores esse,
Testamentum hoc meum declarat. Verùm quoniã
Timothei Charon me ociari non sinit,
Neque Niobes, sed fretum capiendum inclamat,
Obscuraq; me Parca vocat, quam audire necesse est,
Vt omnia mea abiens hinc auferam
Date mihi quicquid est relictum polypi.

Et in alia parte ait:

Philoxenus Cytherius, vt ferunt, aliquando
Optauit, vt guttur tres cubitos longum haberet,
Vt ea quæ bibo, ait eo diutius,
Et quæ comedo: omnia mihi voluptati sint.

In Chærephontem parasitum.

Longam aliquando viam properante ad coenam
Gharephonte, ad nuptias ex vrbe,
Dixisse aiunt Diphilum poetam;
Malis tuis ò Charephon
Infige clauos vtrinque quatuor,
Ne concutiens, longamq; quotidie
Viam carpens, ipsas genas contorqueas.

Et rursus;

Coemit aliquando Charephon carunculas,
Et coquo, vt fama est, assã (?) nimis
Ei adferente forte fortuna carnem,

Dixit;

Dixit ; ne apponas coque mihi hæc
Oſſa . At ille , ſed iucunda eſt :
Etenim carnes quæ oſſibus adhærent , iucunda eſſe dicuntur .
Chærephon autem ; maximè , ò bone , ait ,
Dulces ſunt : at os dolore conficit famelicum.

FINIS.

INDEX RERVM & verborum, ac præcipuè Locorum in hoc Opere memorabilium.

A

Q   Aelia

Am-

H

I

Ira-

pau-

Phoe-

fugil-

Vir-

INDEX.

FINIS.

Fol.47.& 42.corrigat. transferẽdo illã pagnu.42.in locum vbi est.43.& e conuerso.
Fol.175.in capite ante versum (gaudeo) adde pro titulo: In Abydinorum dilicias.